ENARRATIO BREVIS,

DE SENVM AFFECTIBVS

Præcauendis, atque curandis; Rationali methodo decorata, æque atque præſtantiſsimis, arcaniſq; auxiliis, in quibuſdam profligandis morbis, inſignita.

In qua, quod ſingulæ humani corporis prauæ conſtitutiones haud abſque innati caloris oppreſsione, defectuuè, oriri poſſint, paſsim, Liquidòque, oſtenditur.

Acceſsit præterea, Dioclis Epiſtola, ad Antigonum Aſię Regem, pro tuenda valetudine conſcripta; ac ſcholijs non ſpernendis, expoſita.

CVM RERVM NOTABILIVM HOC IN TOTO Opuſculo repertarum, locupletiſſimo indice.

Dauid de Pomis, Medico Phyſico, hebræo Auctore.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

Venetijs, Apud Ioannem Variſcum. 1588.





SERENISSIMO
PRINCIPI,
PASQVALI CICONIA.

Et Senatui Veneto, optimo, atque Illuſtriſſimo.

M*EDICI cautionis, muneris, Sapientiaq; eſt (Sereniſsime Princeps, Optimeq; Senatus,) Propriam corporis ſalubritatem, haud in poſtremis habere; ſeu in minimis conſtituere; quinimò rebus alijs eam an-*

teſerre. Sanitas enim, cùm à cæteris omnibus,

ä Medico. ꝓpria Sanitas præferenda.

tùm à Medicinæ profitentibus, magnifacienda, æſtimandaq́; dubio procul eſt; ad hoc nempè, vt illi abſque interpellatione, alios adiuuare poſsint: ac ipſis, ægrotantes minimè dubitanter, ſed tutam fidem præſtent. Atqui, infirma, æque atq; fluxa fides, medendi arti, (à vulgaribus præſertim) ſatis valdè habetur; Vbi verò Medicum inconſtantem poſsidere valetudinem, homines inſpiciunt, ipſum, & inſimul vniuerſalem curandi rationem, prorſus negligere audent. Fas igitur eſt, vt Serenitatis veſtræ ſeruulus David, ne vt homo tantummòdo, verùm etiam tanquàm Artis Medicæ profeſſor, propriæ ſuæ ſenectutis cuſtodiæ, omni conatu maiori incumbat. Qua de re cum quartum, & ſexageſimum annum, ſim agens, in vltimo ferè ſenio exiſtens, quæ poſſunt ſenectutem lædere, nec non illi iuuamen afferre, inter probatiſsimos autores, inueſtigare mihi viſum eſt; vt à noxam corpori ducentibus, cauere ſecurius valeam; & integram, naturalemq́; conſtitutionem tuentibus, oportunè

Occaſio quam ha

vti poſsim. Hàc de cauſa, enarrationem de

his

his vtriſque conſtruere non ſum veritus: cuius exemplum in lucem æditum, Serenitati veſtræ largiri ſum auſus, vt ſi quid fructuoſum, ex eius vſu, commodoq́ in ea, maxima veſtra perſpicacitas perceperit, nullo propèmodum negocio, colligere queat. Porrò, Iuſtiſsimorum, atque clementiſsimorum Principum (veluti ſublimitas veſtra verè exiſtit, haud ſolum Dignitas, verùm etiam optimus corporis ſtatus, à Deo potius, quàm ab hominis inſtitutione, ſeruatur incolumis. Et Rex Aſſa reprehenſus à Deo, quoniam non quæſiuit Dominum, ſed fidit Medicis, in podagrico affectu quo laborabat. Sicuti ſcriptum reperitur,

Et in Exodo, Deus dixit; ſi audieris vocem Domini, Dei tui &c. Ego ſum Dominus ſanator tuus. Et inquit Dauid; Quoniã Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi, non commouebitur. Et alibi ait, Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me. Et Sapientiſsimus Salomon idem aſſerens dicit, Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo. Et parum infra, inquit, Miſericordia, &

Ve-

buit. Autor, ad iſtã cõſcribẽdam enarrationẽ.

Optimus Princeps, Medico non indiget, ſed à Deo cuſtoditur.

Paralipo. 2. cap. 16

Cap. 15. in fi.

Pſal. 20. verſ. 8.

Pſal. 29. verſ. 3.

Prouerb. c. 20. ver. 8.

Ver. 18. Veritas, cuſtodiunt Regem; & roboratur clementia Thronus eius. *Tantò magis roborabitur, Thronus tuæ integerrimæ Cœlſitudinis; quæ in puppi tutæ nauis ſedet; nec deturbari à ventis valet. Remiges etenim contra fortunam parati ſunt, atque armati. Sed omiſſa metaphorica locutione, Senatum quem tu regis, aliam haud quàquam viam, methodum, ac rationem, quàm illam quæ à Deo priſcis instituta hebræis extitit, obſeruare pro comperto iam eſt. Semitam profectò iſtam, quam tu (Clementiſſime Princeps) tua inſimul cum Republica, directo ordine percurris, Cœlum tuetur, ab omniq́; diſcrimine protegit. Non mirum igitur, ſi ea iàm diu cuſtodita à Deo, tanquàm totius orbis regula, huccuſque diligentiſſimè fuerit; & perpetuò ſeruandam fore exiſtimandum, dùm Venetus Senatorius ordo ſeruetur. Nam, Poteſtas taliter inſtituta, fortunæ vis eam euertere, labefactareq́; nequit; Septaq́; eſt bonarum inſtitutionum præſidijs; Virtus etenim eam protegit, atque munit; Hic profectò Dominatus, bonarum, Diuinarumq́; conſtitutionum, habet exemplum; mo-*

Senatum Venetũ, Diuinas conſtitutiones obſeruare; à Deoq́ue protegi.

dera-

derator (dubiò procul) multorũ Magiſtratuũ; aut forma, vel Idæa; à qua multi ex Chriſtianorum Principibus, ſuas perpetuas leges figurant; adeo quòd (vt aliàs in alio meo tractatulo, explanare nõ ſum veritus,) Deus per Iſaiam c.27. Venetorũ Rempublicam, Vineam optimi vini appellat: eamq; cuſtodire promittit. At, quàm placeat Deo (vt vniuerſaliter loquar) Reipublicæ Principatus, ab his ſanctiſsimis uerbis, quiſque ſatis perpendere valet. Quoniam cum indignatus fuiſſet Dominus aduerſus populum, qui rogauit, vt ſibi Regem exhiberet, nolens amplius ſub Reipublicæ forma exiſtere; ad id quod rogarunt, hoc, per os Prophetæ Samuel, reſponſum præbuit; nempè, hoc erit ius Regis, qui Imperaturus eſt vobis; filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis; Facietque ſibi equites, & percurſores quadrigarum ſuarum; Et conſtituet ſibi tribunos, & quinquagenarios, & Aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum; Filias quoque veſtras tollet in vnguentarias, & coquas, & panificas.

Placet Deo Reipub. Dominatus.

1. Regum cap. 9.

Agros

Agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed de ſeminibus veſtris, & vineis veſtris, capiet decimas, vt det Eunuchis, & famulis ſuis. Seruos etiàm veſtros, & Ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos, auferet, & ponet in opere ſuo; Greges quoque veſtros addecimabit. Voſq; eritis ei ſerui, & clamabitis in die illa, à facie Regis veſtri, quem eligiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa. *Vide quàm phaleratis dictis populum ſuadet, ne peruertat ſe à Reipublicæ Regimine? mores hominis, qui per inſolentiam Imperij viribus abutitur, & vi, & quadam animi libidine dominatur, non iure, legibusq; æquis, depingens. In iſta profectò crimina, Senatus (præſertim Venetus) labitur minimè. Ad noſtrum ergo, reuertamur propoſitum, Venetiarum Respublica, Diuinarum imitatrix, obſeruatrixq; inſtitutionum, exiſtit; Vide quid dixerat (non abſq; cœleſti conſenſu,) Idrò generi ſuo Moyſi,*
Exo.c.18 *iuxta Senatus ordinem? inquit*; prouide autèm, de omni tribu viros fortes, & timen-

tes

tes Deum, in quibus ſit veritas; & qui oderint auaritiam. & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore, quicquid autem maius fuerit, referunt ad te; & ipſi minora tantùmmodo iudicent; leuiusq; ſit tibi, partito in alios onere: Si hoc feceris, implebis Imperium Dei. *Suaſit vt eligeret homines fortes, hoc eſt potentes, & in voluptatibus continentes; & ex ipſis conſtitueret millenarios, vt ſunt Clariſſimi Veneti; qui magnum conſilium ingrediuntur; & Centuriones; qui erant minoris numeri, loco ordinis veſtrorum inſeruientes rogatorum. Quinquagenarij verò, vice quadragintorum Veneti Senatus; Decani autem, vt ſunt illi, qui decem Senatorum conſilium conſtituunt. Sed quid dicendum de ordine quo Municipalis, optimaque veſtra Reſpublica dum officia confert, atque regimina, vtitur? non ne illi à Deo conſtituto ſimillimus? dum partitionem terræ ſanctæ, aliarumq; Regionũ, & Regnorum, quæ filijs Iſrael collocari præcepit? Voluit vt omne illud quod*

Modus eligẽdi eos qui in Regiminibus à Senatu Veneto eligũt, haud diſsimilis illi, cõmiſſo à Deo, in partitione Terræ Sanctę Tribubus facta.

adepti fuerunt, vnicuique ex tribubus ſorſitò diuideretur, Veluti ad eius ſimilitudinem Venetiarum Domini, cum electiones ſpherulis factitant, Voluntatem cum fortuna admiſcentes, ſicut Diuina imperauit Maieſtas; Quoniam tribui Maioris numeri, (per ſublimem fatum,) in ſorte, ſtatus maior portio; & minor, minus populato eueniebat; omneſq; voti compotes remanebant. Omnia pari paſſu, ſecunda, Venetiarum Dominis fluunt; ob prudentiſsimum, ſanctiſsimumq; eorum ordinem; quo, dum Regimina eorum ſtatus, officiaque Magiſtratus distribuunt, vtuntur; (Quiſq; eorum prout ſuæ qualitati conuenit) nutu Dei propria ſorte contentus euadit. Sed nunc mihi offert occaſio, hebræorum Senatus (dum libertatem poßidebant) à Deo inſtituti, explanandi exemplum. In libro Numeri, ſeptuaginta hebræorum fuiſſe Senatores reperitur; abſque Moyſes, qui illorũ extitit Princeps: Cui Deus dixit: congrega mihi ſeptuaginta viros, de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac Magiſtri, & Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque

Hebræorum Senatus qualis fuit.

Cap. 11. ver. 24.

ibi

ibi ſtare tecum, & deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq́; eis; vt ſubſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus portabis. *Septuagenarius extitit numerus, (vt noſtri aſſerunt Theologi) tanquàm curiæ Cœleſtis exemplar, ſeptuagintaq́; linguarum, in hoc ſeculo exiſtentium, imitamen; iuxta Diuinum decretum. Cuius Senatus formam, proauos noſtros in Hieroſolima obſeruaſſe, nemo eſt apud nos qui ambigat; & hic Maior appellabatur Magiſtratus, in Templo reſidens: ac pro eius Principe, inter omnes tribus, cæteris ſcientia, ac moribus præſtantior, eligebatur. Ex ſeptuaginta poſtmodum Senatoribus, vnũ, & magis idoneum, cooptabant: qui pro Vicario inſeruiebat. Cæterorum autèm, quiſque ſecundum propriam Dignitatem, coràm eis ſedebat; omnes in ſemicirculari figura exiſtentes: ad hoc, vt ab vtriſque, eorum ſinguli aſpicirentur. Duo quinetiam Alij Magiſtratus, in Hieroſolima Ciuitate reſidebant; ac vnuſquilibet eorum, ex viginti tribus iudicibus conſtabat; criminales iudicantes cauſas: Vnus autèm eorum,*

RabiMoyſes i tr ac. de Senatoribus. cap. 9. Et alij nõ pauci autores.

Magiſtratus alij minoris numeri.

Magiſtratus ubi reſidebant, &ex quot iudicibus numero conſtabant.

in loco in quo Sacerdotes ad ſacrificandum inſtituti permanebant, quieſcebat. Alter verò in foro, quod in Sancti montis ingreßione extiterat. Ex viginti tribus iudicibus, quilibet iſtorum duorum Magiſtratuum cōſtabat; vt duæ ſupereſſent Voces, aut Sphærulæ, in capitali delinquentis damnatione; in eius verò ſolutione, vna tantummodo ſat erat. Quapropter, ſi ex viginti tribus numero iudicibus, duodecim (nemine eorum diſcrepante) concordes in eius liberatione fuiſſent, vndecim verò, vt delinquēs mortis pœna afficeretur, pronunciaſſent, pro ſoluto iudicabatur. At, ſi vndecim exiſtimaſſent, capitali ſententia dignum nocentem fuiſſe, vndecim verò vt abſolueretur, aut quòd undecim uno modo, & undecim alio, iudicium præbuiſſent, uno autem ambiguo reperto, Aut fortaſſe vigintiduo ſub eodem iudicio inuenti, & unus ambiguus deprehenſus, duos alios adijciebant iudices; de perplexo nullam amplius tenentes rationem.

Nobiliū, & Doctorum electio, i Magiſtratu.

Tàm pro maiori Senatu, quàm etiam pro minoribus magiſtratibus, Nobiles tantummodo anteferebant; in Diuina lege, in cæteriſq;

ſcien-

ſcientijs præſtantiſſimos. Artis quinetiam magicæ, atque idolatriæ cognitionem poſſidentes, ut rectius delinquens ab ipſis iudicaretur. Senator, ſenex, non autèm decrepitus, præferebatur; neque eunucum admittebant: quoniam in his multotiens ſeueritas (vt aiunt) haud ſpernenda ineſt. Carens quinetiam filijs, inter Senatores minimè excipiebatur; ut clementior erga familias exiſteret. Neque Rex Senator conſtitui poterat, nàm, Regis uerbis intercedere, dum aliorum ſententiæ diſſentit, nefas eſt: iudicabatur tamen à Senatu, ſi cum alio concertationem habuiſſet. At Pontifex Maximus, ſi, doctrina, ac optimis moribus peridoneus repertus fuiſſet, haud quàquam interceſſionem patiebatur. Cooptabant Senatorem eximiæ uenuſtatis, atque decoris; ut ei multitudo immenſam tribueret exiſtimationem, dignitatemq́, ſuam colerent. Nec non, eum varijs linguis præditum delegebant, vt diſcrimen quod ab interprete euenire poſſet, prorſus euitaretur. Senatus, res maioris momenti decernebat; eligebat Regem, & proprij Dominij aliarum ciuitatum Magiſtratum, conſti-

Senatoris ætas, & qualitas.

Rex, qua de cauſa, Senator eſſe non poterat.

Senatus Autoritas.

tue-

tuebat. Maximum Pontificem dum aliquo ſcelere ſe adſtrinxiſſet, Tribumq́; dum aliquid contra Religionis canones commiſsiſſet, plectebat. Omnes aliæ ciuiles cauſæ à numero trium iudicum diffiniebantur; varijs exiſtentibus officijs, ſecundum tractandæ materiæ diſsimilitudinem; vt hodierna die (Venetijs præſertim) in vſum venit. Sed quid multa? Senator, ſapiens; humilis; catholicus; auaritiæ infeſtus; Diligens veritatem; comis, & optimæ famæ eligebatur. Omnesq́; iſtæ ſeptem optimæ qualitates, quæ Senatori requirebantur, à ſacra Moſaica lege excerptæ ſunt. Repertis igitur, in Iudæa Viris, qui cæteris antecellerent, Diuinaq́; ab illis expectari poſſent, primùm illi propriæ patriæ iudices conſtituebātur; nam, ibi (propter aliorum ciuium æmulationē;) præclarè ſeipſos in iuſtitiæ munere tractare, & nihil non egregiè committere; conabantur. poſtea, in Ianua ſacri Montis, inde autem, in alium ampliorem Magiſtratum, qui in Xiſto reſidebat, iudicium exercebant. Vltimò, ad præclaris Senatoris amplitudinem, ob rerum geſtarum magnitudinem, deueniebant; & ſic,

Septem qualitates, quæ Senatori requirebantur.

Viri, quo pacto, ad Senatoris gradum aſcendebant.

gra-

gradatim, ad ſublimem ſtatum adueniebant. Senatores, à mane vſque ad crepuſculum poſt ſacrificium reſidebant; hoc eſt, quod ſaltem uiginti tres fuiſſent in numero; quoniam haud ſemper neceſsitas, ut omnes ſeptuaginta congregarentur urgebat. Alij uerò Magiſtratus, ſex horis tantummodo in die, ad iudicandum firmiter ſtabant. Nec nummorum (quantumcunque magnæ fuiſſet quantitatis) oblatione, ad Senatoris, ſeu alicuius iudicis gradum; Sed propria uirtute tantũmodo, erigi poterat. Propè minorem Magiſtratum, in legali Doctrina præſtantiſsimorum ſcolaſticorum, tres præerant ordines; quorum quilibet, ex uiginti tribus conſtabat numero; propter aliquod diſsidium, quod in Magiſtratu euenire potuiſſet; tunc illorum aliquis ſupplebat: eratq́; principalis primi ordinis accerſitus. & ſecundi primarius, in ultimo loco primæ ſeriei ſedebat: Caput autèm tertiæ collationis, in infimo loco ſecundæ, ſe collocabat: Defectumq́; tertiæ, cum alijs electis ab extra uocatis, implebant. Dum taliter inſtitutus Iudaicus perſeuerauit Senatus, liberum Dominium proaui noſtri continuò poſsiderunt

Senatus, Aliorũq; Magiſtratuum reſidentiæ, diuturnitas.

Pulcherrimus ordo, circa ſcholaſticos.

Abrupto ordine, & Dominij defectus, iudæis euenit.

derunt. abrupta uerò poſt modum lege, & ordine omiſſo, à ſummo Poteſtatis, in infimum ſeruitutis decidimus locum. Hæc pauca ſufficiant, de priſcorum Iudæorum Senatu. Reliquum eſt, ut unum exploratum habeatur uelim, me uoluntate, nulli alio eſſe ſecundum, in optanda Serenitati Veſtræ (nullis interrupta malis) Fœlicitate: quam, Totius orbis Conditor, in dies Magis, maiorem, atque ampliorem, perficiat.

Deprecatio, pro ſalute Reipublicæ Venetiarum.

INDEX

EORVMQVE NOTATV DIGNA, Hoc in tractatulo reperiuntur.

ACERRIMA *quando ſunt exhibenda,* 13. *in m. eorum vſus quando conueniat.* 25. *propè finem.*
Aceti facultas. 23. *in me.*
Acris ſapor in calidiſsimis reperitur. 25. *propè fi.*
Aculei infixi, extrahendi modus. 80 *propè fi.*
Aequinoctium. 12. 13. 23.
Aer quot modis alteretur. 3. *propè fi.*
Aeris differentiæ. 1. *fac.* 2.
Agitationes frequentes cibum perturbant. 30. *me.*
Allia 10. *p. elixa, quando vtilia.* 18 *poſt me.*
Alica 6. *propè fi.*
Alui, profluuij cauſæ, 18. *fi. & 19. ſuppreſsionis curatio,* 9. *f. &* 80. *me.*
Ambientis feruor, corporis ſpiramenta laxat. 1. *fac.* 2,
Anheliti difficultatis curatio. 53 *propè fi.*
Anginæ appellatione, qui morbi apud antiquos. 15. *me.*
Animalium partes quæ bonæ, & quæ malæ. 8. *me.*
Annus ſolaris. 19 *propè fi.*
Apoplexiæ curatio. 61. 62.
Aqua inſtillata cælitus inſtituta, pro vita hominis prolunganda, quàm plures auferens morbos. 73. 74. *me.*
Aqua frigida, quando conueniat. 13. *p.*
Aquarum differentiæ. 3 *fac.* 2. *in fi.*
Aquæ aeris temperati. 2. *in princ. Quæ conuenientes, & quæ malæ,* 3. *in fine, & quarta.*
Aquæ vitæ facultas. 25. *in fi.*
Aquæ calidæ vſus. 18. *in fi. uel propè fi.*
Artritidis doloris cura. 38. *in me.*
Aſſellandi cupiditatis curatio. 71. *in me.*
Aſtringens à menſa, quibus utilis. 21. *in me.*
Atræbilis generatio, quando. 13. *in prin.*
Auditus grauis curatio. 79. *in fi.*

Aurium dolores, 23. ſonitus. 80.in prin.
Auſtralis terræ ſectio, quæ ſit. 2.prin.
Autunnus qua de cauſa bilem atram procreet, & Exitialis, 3. in me. tribus modis noxius. 27.prin. initium eius, eodem, ſecatur in duas partes. 25.p.

B

B*Alnea aquarum dulcium temperatè calida, ſenibus proſunt. 5. in med. Tepida, & calidiora, quid faciant, eodem, quot uicibus ſenex illis uti debeat.* eod.
Bibendi in menſa modus. 20.propè fi.
Bilis amara quando augetur. 17.in fi.& 18.
Braſſica, 10.in prin.
Balbi, 8.in fi.

C

C*Achexia curatio.* 64.in prin.
Cæpe. 10.in prin.
Calculus, 19.in fi.
Calor innatus non per ſe, ſed ex accidenti ſeipſum deſtruit. 1.in fi. *Quot modis langueſcat.* 31. *propè finem, eius materia quæ ſit.* 1. *in princ. ipſius diminutionem quiſque æger patitur.* 4. *fac.* 2. *quæ aliquando euitari poteſt.* eadem.
Calor naturalis, atque humor ſummus, quando. 1. *in me. ab igne inferiori parùm differt.* 33. *in princ. quæ illum abſumere ualeant.* 3. *in facie* 2.
Cancri. nu.8.
Capitis morbos præcedentia. 10.propè fi.
Caput maximè aeris permutationi ſubijcitur. 25.in fi.
Caricæ. 9.
Caſeus. 8.in me.
Caſſia. 18.poſt med.
Caſtaneæ. 7.in fi.
Cauſa procatartica, ante omnia remouenda. 15.in prin.
Cibi qui boni ſenibus, & è contra, 10.in prin.
Cibi recrementa quot. 15. *propè finem. Accipiendi tempus, & modus.* 30.in prin.

Cibum

Cibum intercedentia, quę auferant. 81.in prin.
Cibus modicus ſenibus dandus. 9.in prin.
Cibus, & potus amarus, vnde. 17 propè fi.
Cibus aſtringens à menſa quibus vtilis. 21.in me.
Cnicus quid. 18.in fi.
Colici doloris curatio. 68.in me.
Comitialis morbi cura. 48.in me.
Concoctionis uitiatæ cauſæ 29. eam adiuuantia. 30.
Concubitus quando uitandus. 13.in me.
Conſtrictionis alui curatio. 80.in me.
Cor non ęque poſteriora, & calidiora, calefacit. 15.in fi.
Corpora iuxta Aeris ſtatum alterantur. 1.fac.2.in me.
Corporis eſſentia, vnà cum caliditate, paulatim defluit. 5.in prin.
Corpus hominis in quatuor diuiditur partes, ſecundum Dioclem. 10. in princ.
Coxendicus Dolor. 19.in prin.
Crurium torpor. 18.in prin.
Cucumeres. 10.in prin.
Cucurbita. 10.in prin.

D

DAmaſcena. 9.poſt me.
Dentium affectus curatio. 77 me.
Deſtillationis cura. 49 poſt me.
Diſenteriæ cura. 72.poſt me.
Dioclis epiſtola. 10.in me.
Doloris iliaci curatio. 68.in me.
Dulcia quando conueniant. 17.in me.
Dulcis vini facultas. 21.in fi.& 22.

E

EXercitium quæ bona faciat. 26.uerſus fi.

F

FAciei maculas aqua auferens. 74.poſt me.
Facultas nos gubernans calor. in prin.& 32.in fi.

*** 2 Far-

Farrum, quibus ineptum. 7.in fi.
Febris, 19.*prin. febricule.* in me.
Ficus maturæ. 9.in me.
Fiſſuras labiorum auferens.in me. 79.in prin.
Flatus quid faciat. 30.in fi.
Fluoris alui curatio. 69.in fi.
Fluuiales aquæ. 4.in prin.
Fontanarum differentiæ. 3.in fac.2.in fi.
Frictiones, quo pacto fieri debeant ſenibus. 8.in fi.
Frigoris ſæuitia, quæ mala faciat. 1.fac.2.
Fructus, 9 *in me.* 30.in prin.
Fructus, aut aliquid aliud, non eſt præſumendum in potu delatiuo. 21.in princ.

G

GAmmari. 8.poſt me.
Generatio, & vita, in quo conſiſtat. 81.poſt me.
Glaucoma quid, 15.in prin.

H

HEmorroydarum curatio. 75.in fi.
Hirudinum reiectio. 23.in me.
Hidrops. 44.in fi.
Hominis corpus,in 4.*partes diuidit Dyocles.* 10.in fi.
Hordeum, ſenibus bonum. 7.in me.
Humores quando à capite ſunt eijciendi. 16.87.
Humores caput petentes, ventris fluxu vacuandi. 16.in fi.

I

ILiaci doloris cura. 68.in me.
*Interitus naturalis cauſa quæ.*1.*in fi. præternaturalis,* in fac.2.
Ira modica, aliquando ſenibus competit. 9.in prin.
Iucundum facilius concoquitur. 6.poſt me.

Lac

L

LAc acidum. 8.in me.
Labiorum fiſſurę curatio. 79.in prin.
Lapidis cura. 61.propè fi.
Lens quibus aliquando non inepta. 7.in fi.
Letarghus. 17.uerſus fi.

M

MAla punica. 10.in prin.
Mandans membrum initiò corrigendum. 15.in prin.
Medicamenta quibus antiqui vtebantur, non tuta ſine præparatione, & quare. 18.in me. propter plenitudinem non poſſunt per corpus deferri. 35.in prin.
Mel, 10.in prin.
Membra ſiccescunt vi caloris. 1.in fi.
Meracius bibere, quando conueniat. 20.in fi.
Mortis cauſa. 1.in fi.
Muſti facultas. 22.in prin.

N

NEphritidis cura. 28.in fi.33.
Neruorum tremor. 80.in fi.

O

OCcidentalis partis temperamentum, & eius venti. 2.in fac.2.
Ocimum. 8.9.poſt me.
Oculorum & narium cura. 55.in me.
Odor quid. 20 in me.
Odoramenta. 26.Dio.
Odoratis, quando vtentum. 13.in prin.24.in fi.
Olera.8.in fi.cum quibus ſumenda. 9.in me.& 10.
Oliuæ. 9.in fi.
Oua. 8.propè fi.

Pal-

P

Palmulæ. 7.in fi.
Panis qui ſenibus congruus. 7.propè fi.
Paſtilli menſilis forma. 73.propè me.
Paſtinaca. 8.poſt me.
Pepones. 10.in prin.
Peſtis. 2.fac.2.
Piſces. 30.in prin.qui boni. 6.in fi.
Piſum quibus aliquando vtile. 7 in fi.
Pituita quando augetur. 25.in prin.
Pluuia. 4.in prin.
Podagra.19 propè me. 39.44.in me.
Porrum. 10.in prin.
Poſca quid. 23.in fi.
Potu delatiuo, quando vtendum. 21.in prin.
Potu menſas claudere, quando conueniat. 21.in prin.
Potus aquæ tepidæ, ante cibum, & à balneo, confert nephritidem patientibus. 36 propè fi.
Pueris vinum non exhibendum. 2.

Q

Quietis incommoda. 26.in fi.

R

Raphanum. 10.in prin.
Rapum. 8.poſt me.
Raucedinis remedium optimum. 52.poſt me.
Renibus, & viſicæ, quæ aquæ malæ. 4.in fi.
Renum lapidis differentiæ. 33.poſt me.

S

Sanguis vere ſuperat. 3.in prin.
Sapæ incongruus uſus. 6.in me.
Senecta naturalis frigida, & ſicca. 5.

Sene-

Senectus curarum plena. 65.
Senectutis differentiæ. 4.fac.2.
Seniores in frigidum ſtatum mutantur. 4.fac.2.in fi.
Senis mali habitus cura, 44. in prin.temperatura,per quæ corrigatur. 5.in prin.pruritus. 67.in prin.
Senex quando comedere debeat. 8.in fi.
Sepiæ. 7.10.in prin.
Septentrionalis pars quæ. 2 in fi.
Serum quando ſenibus conueniat. 6.in fi.
Similago quæ ſit. 7.poſt me.
Siliquæ. 7 poſt me.
Solſtitium. 19.f.ęſtiuum.13.in prin.hiemale.12.poſt me.25.in prin.
Somnum conciliantia. 65.66.in fi.
Spiritus flatuoſi generatio. 46.in me.
Stomacum corroborantia. 70.in prin.
Stupor quid.18.in prin.cura eius. 41.in fi.
Sudor quando vtilis. 15.in fi.& 16.
Suffuſio. 73.in prin.

T

Temporum ſucceſſio præternaturalis quæ mala faciat. 2.fac.2. in med.
Teſtium magna facultas, 14 poſt prin.
Thoracis morbos pręcedentia. 15.poſt me.
Tormina inteſtinorum. 19.in prin.
Tortæ malæ. 7.in fi.
Tuſſis cura. 49 fi.52.in fi.

V

Veneris exercendæ propitius tempus. 23.in fi.eius immoderatus uſus, quæ mala faciat. 24.in prin.remedia. eodem.
Venter ſuppreſſus. 9.in fi.
Ventris morbos præcedentia. 11.17.in fi.
Ventus quid.2.in prin.auſtralis. eodem.
Vergilię quę ſint. 24 uerſus fi.
Vertiginis cura. 45.poſt me.

Vericę

Veſicæ morbos præcedentia. 19. *poſt me. morbi proprij eius. nu.* 19. *poſt me.*
Vigiliarum cura. 65 *in prin.*
Vina ſenibus conferentia. 21. *in me. dulcia quæ mala faciat.* 21. *in fi. & quibus proſint.* *eodem.*
Vinorum nigrorum, quæ laudantur. 21 *poſt me.*
Vinum ex melle paratum, quibus conferat. 6. *in me.*
Vinum meracius quale, & quale bibendum. 21. *in me.*
Vinum bonum, ſenectutem corrigit. 8. *in prin.*
Vinum pro calculoſis. *eodem.*
Viſus hebetudinis curatio. 72. *in fi.*
Volucrum caro. 8. *in prin.*
Voluulus. 19. *in prin.*
Vomitus, 16. *in med. non conuenit in capitis affectibus, nec in magna ventris diſtentione.* 17. *in prin.*
Vomitum cientia. 17. *in me. quando rariſſime eo utendum.* 26. *in me. quando conueniat.* 30. *in me.*
Vrinæ ſtillicidij, difficultatisque cura. 55. *in me. ſuppreſſionis.* 56. *ardoris.* 56. *in prin.*
Vua. 9. *in fi.*

FINIS INDICIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ENARRATIO BREVIS DE SENVM AFFECTIBVS Præcauendis, atque curandis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DAVID DE POMIS Phyſico Hebræo Authore.

FACVLTAS nos gubernans calor innatus appellatur. Nam quicquid vitam agit, ſalutari calore continetur, & regitur: cuius ſubiecta, & indiſſolubilis materia, humidum primigenium exiſtit, hoc eſt ſeminalis ſanguinea ſubſtantia; ſimulque aerea, & oleoſa: ex ſanguine perſeuerantiam obtinet; Quemadmodum ex lignis, qui in foco eſt ignis. Si verò iacturam acceperit, haud reſarcietur. A ſemine enim deriuatur, veluti carnoſa ſubſtantia à materno ſanguine inter ſeminis villos, & ſtamina ſenſim influente, illicque concreto, facta eſt ſubſtantia ex ſanguine, & moles eſt partium ſimilarium.

Stamina illa ex humido, liquidoq; ſemine creata, diuturnitate magis magiſque ſicceſcunt, dum ad extremum ſenium (quod aridiſsimum eſt) veniunt. Et ſicuti in ortu ſummus eſt tùm calor, tùm humor, ſummus inquam quamuis appelletur, temperatus tamen exiſtit; ſic ætate progrediente, eorum vterque diminutionem patitur, & ſenſim vi caloris membra ſicceſcunt, adeò quod ſęnium ingenti ſiccitate inareſcit, & frigidiſſimum euadit. Calor etenim non per ſe, ſed ex accidenti ſeipſum deſtruit: quoniam ſuo exhauſto pabulo, quod humidum eſt primigenium, & ipſe vnà reſtinguitur: qui dum conſeruari, & perfici naturaliter deſiderat, ſemetipſum interimit; quod

cauſa potiſsima interitus (naturalis inquam) exiſtit. Verum enimuerò, præter naturam, multoties præuenit caloris innati non ſolum diminutio, verùm & deſtructio; partim ſcilicet à viuendi ratione, partim à ſpiritu, hoc eſt ab aere; cuius attractione viuimus. Nam, ambientis feruor corporum ſpiramenta laxat, & interiores tùm ſpiritus, tùm humores foras elicit: Quarè neceſſe eſt ſubſtātię caloris plurimum in confinem aere defluere, atque diſsipari, exiguum uerò intus contineri. Ex frigoris etiam ſæuitia, plurima animantia extincto calore de uita decedunt, immò & inter homines multi ex hominum uita demigrant, aut ſine ſenſu & motu iacent; & qualem ætatis decurſio affert calidi noſtri commutationem, corruptionemuè, talem exiſtimandum ex uarietate obuenire; propter ineuitabilem inſpirationis aeris neceſsitatem, quam naturaliter homines poſsident. Qua de rè ſana corpora, & multò magis ægrota, iuxta aeris ſtatum alterantur. Aer enim alius in qualitate temperatus, alius uerò congrua temperiè carens, ille ſubtilis, exactè purus, clarus, odore ſuaui præditus exiſtit; haud calidus quod ſudorem, nec frigidus, ut corporibus rigorem prouocet: ſed qui citò in frigidum, quum ſol occumbit, & ad eius ortum in calidum immutatur; robur ſingulis præſtans, humores ſpiritusque clarificans, necnon concoctionem adiuuans. talis autem fuerit is, qui non ex ſtagnorum, aut paluſtrium locorum euaporatione turbatur, neque ex baratro uenenoſam auram ſuſcipit.

Qui uerò extra temperantiam exiſtit, aut in qualitatibus, aut in ſubſtantia, coinquinatus redditur. Aeris immutatio ſecundum qualitates, tum propter regionem ipſam, tum anni tempus, tum ob præſentem cœli ſtatum, hoc eſt particularem eius præſentem temperiem prouenire poteſt. Alteratur ſiquidem aer à diuerſa regione, prout ad Orientem, uel Occidentem, Aquilonem, uel Auſtrum expoſita. Regionem enim ſecundum Solis acceſſum, æqueatque receſſum, uariari pro comperto habent. Orientalis igitur pars temperata exiſtit. Sol etiam ſuper eam quotidie, & ab ea ſingulis ſegregans diebus, haud in illa calor, algorque, operari inſigniter ualent, cùm Sol haud diu, ut multum incaleſcat immoretur, neque tam breui intercapedine eueniat, ut frigefaciat: clarum igitur habet aerem,

rem, & ſiccum, neque in frigidum, neque in calidum admodum excedentem. Aquæ eius non ſalſæ, nec turbidæ, ſed claræ, ſuaues, haud ſolùm quę à cęlo cadunt, uerùm etiam quæ à terra ſcaturiunt. Propterea homines qui eam incolunt, pulchri, ſani; bonis moribus prædici uidentur, & re ipſa ſunt.

Ventus igitur, qui quidem nil aliud eſt, quàm terræ ſiccus uapor, ab hac flans parte, ad ęquale ferè accedit temperamentum, parum tamen ad calidum & ſiccum declinans, propterea corpora ſub illo malè affecta minimè euadere, ſed ſalubria ſeruari quotidiè inſpicitur.

At Auſtralis terræ ſectio, quæ à dextris ortus eſt Solis, dum ſcilicet faciem Orientem uerſus uoluimus, calida hnmiditate coniuncta, dubio procul exiſtit: calore quidem afficitur, propter ſolis ſuper eam deſcenſum, dum à Septentrionali amouetur polo, humiditate autem opprimitur, ob humidum uaporem à mari (quod in illa parte magnam poſsidet portionem) eleuatum. Conſentaneum ergo eſt, illius ſectionis uẽtos non ſolum calidos, uerùm & humidos eſſe. qui quidem, corpora (neruos præſertim) laxare, humores, ſenſus, atque ſpiritus turbare uidentur. Hanc ob rem, plurimos pariunt morbos, auditus nempè grauitatem, uiſus defectum, capitis dolorem, epilipticos affectus, ſegnitiem, unà cum nati imbecillitate; cerebro nempe ingenti repleto humore, enarrata euenire ſimptomata dubio procul exiſtimãdũ. Quinetiã à capite pituitoſi producti ad uentriculũ humores, inappetentiæ prauęq. cococtionis in cauſa eſſe cenſendum; ueluti malarum qualitatũ exceſſus, putredinisque: & per conſequens innati caloris deperditionis. Quinimò, ſalſa, ac turbida aqua, per eã decurrens partem, qui ſub illa degunt, male concoquunt, eorum calor perfacile diſſoluitur, ac propter capitis imbecillitatem ebrietati ſine difficultate obnoxij ſunt. Non raro etiã, ijs qui quintum annum tranſacti, emicranea accidit. At his prorſus aduerſa à ſiniſtra ſolis ortus Septentrionali parte cauſari inſpicimus: Nam, cum frigida ſit, & ſicca, ob circiter illam remotiorem Solis curſum, eoq. magis, quo polo proximiorem, ab hac flans parte uentus. (Boreas à recentioribus appellatur) frigidis, ſiccisq; qualitatibus præditus profectò eſt. Vndè nil mirum uideri debet, ſi corroborandi, atque firmandi vim habeat, ac ſpi

ritum clarum, necnon humores puros efficiat, cerebrum à ſuperfluitatibus immune conſtituat, ſenſus perſpicuitatem, motus appe tentiæ, concoctionis præſtantiam augeat; fluxionem cohibeat, ac corpora denſans calorem innatum ad interiora vertat, hinc virtutes roborantur omnes.

Occidentalis etiam regio non multum à recta temperie recedit, paululum nempè ad frigidum & humidum accedens, non ut ſubſolanus, corpora ad unguem ſalubria ſeruat. Ideò, & ab illa flans parte uentus, (qui Fauonius dicitur) regionale temperamentum poſsidens non prorſus ſaluber iudicandus uenit. Radius .n. Solis eam ſuper Occidentalem partem, haud peruenit, quo aerem clarificare, aquasq. rectè excoquere ualeat. Ideò autumnali tempeſtati non admodum diſsimilis cenſetur, cum æſtas manè frigeſcat, ueſperè uerò exceſſum caloris habeat.

Quinetiam, alteratur à diuerſa regionis natura aer, pro ut in concauo, aut ſublimi ſitu fuerit, ſi ſulphurea, aluminoſa, paludoſa, petroſa, uel argilloſa regio fuerit, iuxtà mare, flumen, aut montes, aut alia ſimili ratione diuerſa, quæ omnia exhalationes inſequuntur, necnon alia quæ in regione adſcititiè eueniunt; ut puta, ſtagna, putrida olera, aliaque corpora corrupta, aut cadauera malè, ant non ſepulta, à quibus halitus, ſeu uenti aerem corrumpentes, haud rarò produci uidentur, & in longinquam partem transferri, ac hominum multitndinem peſsimis ſymptomatibus necare, peſtem hunc affectum nominant. Idem afferentes euenire dum temporum ſucceſsio prçternaturalis extiterit. Hyems uerbi gratia calida, & ſicca. pluuijs carens, è contra pluuioſa, Ver frigidum, & ſiccum. Autumnus uerò calidus, & humidus, hæc temporum contraria immutatio hominum perniciem cauſat. Nonnunquam etiam in plantis, arboribusque, & conſequenter eorum fructibus, eiuſmodi malum incumbit, adeo quòd & formam, & ſaporem, nō ſine hominum læſione perdere videntur, multi tamen eorum corruptioni obnoxij non ſunt, corpora nempè bene dipoſita poſsidentes, ſed multum momenti & ponderis ad rem inſtitntam obtinet, hic ſcire, quòd etſi quatuor anni tempora, Hyems ſcilicet, Ver, Aeſtas, & Autumnus. dum naturaliter eorum ſeruant proprietates aeris nos ambientis, quæ ab his alteratio

con-

conficitur paulatim fiat,ut ferè à nemine toto tempore ſentiatur. fieri tamen non poteſt,ut animantium corporum temperaturæ ab eiſdem non afficiantur, ac permutentur, & humorum exuperantiæ in iiſdem corporibus non diſsideant. Nàm in ſingulis anni temporibus,ſinguli uigent humores,ſiquidem hyeme pituita uiget. Frigiditas porrò in illa excedens, cum longè à puncto capitis noſtri Sol amoueatur, quòd obliquus, & humilis,paucoque tempore ſupra terram feratur; humiditas uerò ob pluuiarum multitudinem.

Sanguis uere inter humores ſuperat. Vernale etenim tempus elementaliũ qualitatũ, ſingulas ferè ęqualitates poſsidet, propterea ſaluberrimum ab Hypocr.exiſtimatur. Sol enim eo in tempore in ęqualitatis eſt linea,cuius longinquitas ab utriſque eſt æqualis polis, porrò eius æqualitas (cæteris conferendo temporibus) reperitur. At ęſtate,bilem inter humores ſuperare non eſt qui hæſitare audeat: ſiquidem caloris,quo pręditus eſt aer nos ambiens æſtate,auctor eſt Sol, qui tùm antecedit propè ſupra uerticem noſtrum, & diem longiorem efficit; cum longè à puncto capitis noſtri amoueatur, ultimoque ſuo eleuationis termino extollatur. Quapropter, noſtra plurimum calefacit corpora,atque deſiccat, in Autumno uerò bilis atra ſuperabundans eſt. cum æſtiuus calor humiditatem deſiccauerit,propterea inſalubris,& exitialis ab Hypoc. iudicatur,eoq. magis,quo cęteris inęqualiter temporibus exiſtit; in calore nempe,ac frigore, in duabus enim diei extremitatibus frigidus, in medio autem ad caliditatem declinans eſt, & ſic cum circunfuſi aeris ſtatu unà animalium corpora afficiuntur,ſiccantur in ſiccis eius temperamentis, incaleſcunt in calidis,& in frigidis algeſcunt,nam qualem aer naturam habet, ita etiam nos afficit: fiunt itaque morbi,pro ratione cuiuſque anni temporis; ſimilitudinem tum natura ſucci exuperantis, uti ipſa tempora propriam ſęruabunt. Verùm, temporis iam dicta ſecundum naturam ſucceſsio, haud multum diſcriminis corporibus affert humanis,de facili enim à nobis uictus inſtitutione corrigi ualet, Veluti contra euenit,dum nos ambientis alteratio præternaturalis exiſtit, à qua calorem innatum corrumpi multotiens inſpicitur. Alteratur profectò,ut epilogando hoc dicamus, aut in eiſdem qualitatibus, uel in oppo-

ſitis,

ſitis,aut in ſubſtantia : in eiſdem quidem, ut quando æſtas eſt nimis calida,& ſicca,hyems nimis humida,& frigida, & ita de alijs, ac talis aeris permutatio, minorem affert epidemiam : At quando in oppoſitis fit exceſſus,ueluti cum ęſtas ſit frigida & humida, hyems calida & ſicca, maiorem humani generis perniciem inducit.

Si autem in ſubſtantia aeris fiat immutatio, ſeu corruptio, hoc aut à ſuperioribus eueniet,ex aſpectu nempè orbis maleuolo,aut ab inferioribus,utputà à uétis,prauis exhalationibus, uaporibusuè,ac regionis(ut dictum eſt)proprietate.Aer enim qui in petroſis locis eſt, hyeme quidem frigidus, æſtate uerò æſtuoſus exiſtit. malus eſt etiam qui ex metallis exhalat, qui uerò ex argilloſis, ſtomacum exoluit, at ex locis terræ flauæ, magis priore ſiccat, optimus autem eſt ex terra nigra.

Quinetiam,exhalationes ex terra fientes aerem immutant, ſiquidem ſi modica, & tenuis fuerit exhalatio, vapor nubiloſus generatur, ſi verò amplior, & craſsior, caliginoſus, ſi verò adhuc craſsior,tenebroſus; plurima verò,ac craſsiſsima humiditate exhalante, vapor diffunditur in ambientem roſcidus, at ſiccior exhalatio,ventos (vt diximus) facit.

Quiquidem omnes, longiorem aeris fruitionem exhibent corporibus, violento motu aerem inducentes, & ſimiles ſunt locis, ex quibus ſpirant,à morboſis locis, morboſi, à ſalubribus ſalubres.

Ex his conſtare poteſt, ac poterit, quæ loca,qualisque aer, noſtrum abrumpere calorem innatum queant; qualisq; eum tueri,& ad vltimum ſenium perducere.

Iuxta terram quoque, ac regiones,plurimæ aquarum differentiæ fiunt,quas omnes cognitas habere expedit. Cum aquæ in omnem ferè humanæ vitæ vſum, haud minus quàm aer, & locus requirantur. Nam citra aquam,nec alimentum,nec quicquam aliud commodè coqui poteſt. Fontanæ igitur aquæ, quarum fontes ad Septemtrionem erumpunt,ex petris ſtillantes, Solem auerſum habent; incoctiles,ac tardi tranſitus ſunt, frigefaciuntq;: Quarum verò fontes ad Orientem erumpunt, & per meatum quendam,aut terram puram excolantur, calefiuntq. ac frigefiunt;citiſsimè, hæ optimæ ſunt, niſi ex cloacis quibuſdam vitium ipſis accedat. At puteana, frigida, ac ter-

rea

rea eſt; difficulterque excernitur,necnon ęgrè digeritur. Fluuiatiles autem aquæ malæ, pręſertim ſi aliquas uitioſas regiones pertranſeunt, minoris tameu prauitatis aqua magnorum fluminum eſt,hauſta à loco vbi magis currit, in variisque vaſis per quatuor ad minus dies repoſita, meliores autem ſunt fluuij,qui per fontes perpetuos fluunt,& aliis non miſcentur fluuijs. Stagnina verò aqua propter cęnoſam circumferentiam limoſa,& grauis eſt, & propter ſtationem, ac immobilitatem, velut mortua, & putrefacta.

Conueniens igitur aqua,vt in ſumma dicamus, guſtui congrua eſt. citò caleſcens,ac frigeſcens, facilè carnes,aliaq. omnia coquens,clara,ſuauis,de fontibus Orientalibus,lucida,leuis. nullius odoris,æque atque ſaporis,ventriculum haud grauans, ſuper clariſsimā currens arenam, in hieme calida, æſtate verò frigida,pluuiales bonę ſi leuiter fuerint colatæ,pluuia etenim aquarum pars ſubtilior exiſtit. à Sole attracta eoque magis,ſi cum tonitruo deſcenderit,motu enim illo ſubtilior,& purior euadit. Bona eſt etiam,quæ lixiuium haud perturbant. Quæcunque verò aquæ adſtrictionem, ſalſedinem, aut nitroſitatem,aut craſsitiem,aut aliud quid in guſtu detegunt, malæ ſunt. item quæ graueolent,& quę concretionem ſuperſtantem habent,ac ſubſidentiam fœtidam,ſolidamque,& quæ inſtar lapillorum æreis vaſis adhærent, & quæ hyrudines nutriunt, aut alia quædam animalia, aut ſtantes, & paluſtres, & quæ ſunt in metallis auri, & argenti,aut aluminis, aut ſulphuris, aut quæ per plumbi canales ducuntur, & quibus vicinæ ſunt calidæ aquæ,& nitroſæ.Salſæ enim ventrem molliunt,per longam uerò temporis intercapedinem hauſtæ, vim adſtrictoriam, atqne deſiccantem poſsident, pruriginem, æquè atque ſcabiem excitant, renibus item, & veſicæ incommodæ. His igitur tanquam humani generi neceſſarioribus prælibatis,aere nempe,aqua, & loco,ab Hypocratica doctrina excerptis, nunc ad principaliorem deueniendum eſt ſcopum, (ad aliquos nempe ſeniles affectus curandos atque pręcauendos) hocque perfacilè obtinebimus, dum ſenis Hypocratis præceptoris Aphoriſmum in medium adduxerimus, cuius hęc ſunt uerba.

Senibus ſpirandi difficultates, diſtillationes, cum tuſſe, vrinæ ſtillicidia. Vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus grauis.

Senectutis (auctore Galeno de Tuenda valetudine quinto) tres ſunt differentiæ, ſeu partes. Prima eſt eorum qui uiridi ſenecta præditi dicuntur, quòd nimirum adhuc ciuilia obire negotia queant, eius initium eſt annus quinquageſimus. Multis uerò robuſtioribus quinquageſimus quintus, & durat ad ſexageſimum, aut ſexageſimumquintum.

Secũda eſt eorum qui ciuilia munera propter uirium imbecillitatem, haud ſine difficultate obire ualent, Hæc incipit anno ſexageſimo maxima ex parte: aliquibus uerò ſexageſimoquinto, & protenditur in ſeptuageſimum, aut ſeptuageſimum quintum.

Tertia eſt, in qua eſt magna uirium imbecillitas, orditur anno ſeptuageſimo, aut ſeptuageſimoquinto, uſque ad uitæ finem perdurat. Nec in ſingulis ſenectutis differentijs ſolum, connumerati affectus, uerùm & in iunioribus infeſtare poſſunt, unumquemque tamen eorum, his aut aliis affectibus correptum, caloris diminutionem pati. (innati ſcil.) dubiò procul exiſtimandum, ueluti Galę, in enarrato præſertim Aphoriſmi comento teſtatur. Seniores uerò facilius in frigidum ſtatum mutantur, & nigri, & liuidi, fiunt & frigidis morbis facilè capiuntur, neruorum reſolutione, ſtupore. 2. de Temperamentis, capit. ſecundo.

At ſicuti caloris imminutio naturalis euitari nequit, ſic accidentalis aduentum recta uictus ratione abrumpere quiſque ualet, haud ſcilicet æſculentis, poculentisque ſolum, ſed uniuerſa in congrua uitæ ſorte. Neque enim cibi ſolum, & potiones, uerum etiam balneæ, exercitationes, ocium, uigiliæ, mœror, ira, ultra iam tria alia principaliora, à nobis commemorata, aerem nempè, aquam, & locum, pariunt morbos; ſi illis uitioſis

tioſis, aut intempeſtiuè uſus quis fuerit: caloris nempè innati munere ab his impedito.

Et quoniam ſermonem de ſene ſumpſimus, quo pacto iis ſenex uti debeat, breuiter enarrabimus. Deinde ad prænominatorum affectuum curationem deueniemus.

Quum ergo corporũ eſſentia, unà cum inſita caliditate (ut ſuperius dictum à nobis eſt) paulatim defluat, & inſtrumenta iam ulterius q̃ conueniens erat ſicca fiant; tũ actiones deteriores redduntur, tùm aĩal ipſum excarne, & ſe ipſo gracilius euadit. Non immeritò igitur, naturalis ſenecta ſicca, & frigida corporum temperatura ex longeuitate proueniens, à præſtantioribus diffinita eſt medicinæ profeſſoribus. qua de rè per humectantia, ac calefacientia, eius temperamenti correctio contingit. Talia ſunt aquarum dulcium balnea temperatè calida, nam per ſe ipſa humectant, & calefaciunt. Oportet autem, & balnei aerem humidum efficere, pauimento, & parietibus.

At uerò in ſabuloſis renum affectibus, mollibus, & leuibus balneis utimur. Talia autem ſunt, in quibus malua tùm hortenſis, tùm ſilueſtris, & ſemen lini, & fœnugræci, & melilotus incocta fuerint.

In ſumma temperatè calidum balneum, & optimum, & tutiſsimum eſt, laſsitudinem ſoluit, humorem, repletionem per habitum digerit. Item excalefacit, mitigat, emollit, Flatus, (vbicunque decubuerint) diffundit; ſomnum conciliat, carne replet, eſt autem (ut inquit Paul. Aeg.) aptiſsimum omnibns, & viro, & mulieri: & puero, & ſeni: & principi, & priuato: Tepidæ uerò aquæ ſi fuerint, non ſolùm humectant, ſed refrigerant, ſi verò calidiores æquo factæ fuerint, calida quidem ipſorum vis eſt, non autem ſimiliter humida; inhorreſcere enim cogunt corpora, & meatus ipſorum denſari, ut neque extrinſeca humiditate fruantur, neque ex internis ſuperfluitatibus quid euacuetur: tales igitur ſenibus non conueniunt, ſed temperatè tantummodo.

At ſenes ſecundum Gordo. quater in æſtate, tantundem in hyeme, ter in vere, terque in autumno balneum ingredi debent; ab excrementorum uidelicet deiectione, ac ante refectiones. ſæpius uerò, ac maiori, minorique mora in illo im-

morandum, ſecundum tolerantiam, atque ingredientis conſuetudinem.

Quinetiam vini boni potus ex his eſt, quæ ſenectutem admodum corrigit. ſit autem ex calidioribus natura, quale eſt, quod ſubſtantia quidem tenue eſt: colore autem fuluum, aut flauum, qualis eſt color auri, & ariſtarum, ſit etiam odoratum, atque unum quidem hoc maximum bonum ſenibus ex uino etiam accedit, quòd calefiunt omnes ipſorum partes: deinde quòd ſerum ſanguinis per urinam purgatur. A nigris, & acerbis, craſsiſque, & ſimilibus vinis abſtinere ſenes oportet. diutius enim, in uentre manent: & propterea incommoda ſunt. Vt plurimum enim ſenes uino urinam ciente opus habent, & quod aquoſa ſuperfluitas in ipſis redundet, & quod calculo in renibus afficiantur, quibus uinum ex melle paratum maximè prodeſt, ueluti i s quos podagra, aut articularis morbus inſtillatioque infeſtat, & tunc in uinum iniiciendum eſt petroſellinum, ad calculoſos uerò bectonica & ſaxifragia admiſceatur.

Vina quoque tenuia, & alba, craſſos humores ſecant; & per urinas expurgant, minus tamen nutriunt.

Dulcia quoque & ſi aluum ſubducant, flatum tardè tranſeuntem generant, & craſſum ſanguinem. His amplius ſapa, & uinum nouum, dulci uerò ſi ſenex uti uelit poſt balneum ſumat: Dulce, ſimulque pallidum colore, ſeu pellucidum ſit, bonnm hoc & moderatè craſſum, ſanguinem generat.

Vina rubra, & craſſa, ac adſtringentia & ſi magis alant, ſenibus tamen propter obſtructionis diſcrimen incommoda profectò ſunt, ſic & iniucunda: facilius enim concoctu eſt, quicquid unicuique iucundum eſt. At uinum nigrum, & auſterum, facile aceſcit, & uomitum conciliat. Quinetiam auſterum omne, ſiue nigrum, ſiue album, ſiue flauum, uentrem ſupprimit. Vetus uerò tenue. At uetus cum acrimonia, extergit, ſecat, ab obſtructione liberat, uetuſtiſsimum autem multum calidum exiſtit. Abſtineant ab eduliis, & potibus uiſcidum & craſſum humorem gignentibus qualia ſunt alica, caſeus, oüa ad modum cocta, cocleę, bulbi, fungi, lenticula, oſtreorum caro, lac etiam rhenes eorum lædit, qui apti ſunt ad calculorum generationem, ſerum tamen alii purgantis medicamentis uice in æſtate uti poterit, optimi pro eis ſaxatiles piſces

ſces ſunt ad coquendum prompti, & boni ſucci, modicè humectantes, ubi non duram carnem occupauerint. Sint autem non ſolùm parui, ſed ſquamoſi, in mari degentes, haud in locis ſtagnoſis, uel in fluminum principiis. Piſces uerò qui teſta conteguntur, ſalſum, crudumque humorem producunt. Gobius qui circa arenoſa, & petroſa littora capitur bonus à Medicis cenſetur, qui uerò in fluuiorum oſtiis, aut ſtagnis degit, nec boni ſucci, nec concoctu facilis eſt. Paſſeres, murenæ, niſi in ſtagnis degant, haud prorſus ſpernendæ. Omne aliud piſcis genus firmiorem habens teſtam uitetur. In uniuerſum, nutrimenta quæ facilia concoctu ſunt, pro ſenibus eligenda, & his qui pituitam, crudum humorem, uiſcoſumque, ac craſſum, coaceruarunt, attenuatoria alimenta conueniunt.

Nam anguſtos tranſitus ab obturatione liberant, & uiſcoſa infarcta expurgant, ac craſſa ſecant, ſed ab aſsiduo fortiter attenuantium uſu abſtinere oportet, qui enim in eorum eſu perſeuerant, ſeroſas, & bilioſas ſuperfluitates congregant, quapropter, mediocriter attenuantibus, ſeu mediis inter attenuantia, & craſſefacientia, alimentis utendum, inter quæ ordeum connumerant. deinde panem clybano coctum, triticeũ. Nam panes furnacei, & ſiliginei, & non probè præparati, omnisque placenta non fermentata, & ſi ex tritico, aut ex ſimilagine (quæ quidem medulla eſt triticeę farinæ) confecto. omnibus iſtis, citra periculum, ſenes præſertim, qui exercitijs dediti non ſunt, necnon aliqua affecti obſtructione, uti ſine læſione non poſſunt. Prętat enim eis panis optimi frumenti farinæ, à qua furfuris tantum craſsior pars ſegregata fuerit. hic enim propter uim attenuatoriam quam habet, medius eſt inter attenuantia, & craſſefacientia.

Quinetiam, alica, ſeu farrum, inęptum his qui iecur obturationi obnoxium habent, & rhenes calculo generando aptos, hac ratione à leguminibus abſtinendum; præterquam ſiquis per longum interuallum piſum, aut lentem guſtare uelit, nam cortex exterſorium quid poſsidet, palmulæ etiam & caſtaneæ, craſsi ſunt ſucci, & ueſcẽtibus crudis humoribus implent, & ſi multùm nutriant. Omnia item liborum, tortæ genera, ex ſimilagine, ſeu alia optima triticea, aut alterius generis farina præparata obſtruunt, & calculo in rhenibus gene-

rant,uentremque ſupprimunt,ueluti & lenticula decorticata, oriza, panicum, & millium.

Volucrum caro,terreſtrium generi comparata concoctu facilior eſt, præſertim perdicis, columbæ, & phaſianorum, alæ anſerum, magiſque gallinarum, & in ſumma præſtant alæ ſaginatorum, & iuniorum. At colla animalium, caudæ, ſilueſtrium animalium caro, & eorum præſertim quę ſiccis locis degunt, ſuperfluitatibus carent. peſsimæ autem ſunt ale gracilium, & ſeniorum iecur anſerum ſero præſertim lactis ſaginatorum. Itemque teſtes gallorum ſimiliter nutritorum. facillimè concoquuntur, uituli etiam, & hædi carnibus uti ualent ſenes,ſic oua recentia,trementia,ac ſorbilia,eis exhibenda. Cætera quæ ægrè concoquuntur, iuuenibus, ſimulque robuſtis permittenda ſunt. Nempè caro caprina,bubula,ceruina, hircina, arietina, taurina: & ex ſenioribus animalibus & ſuilla. Item uentriculus, inteſtina, cor, iecur, aures, caudæ, renes, cerebrum, medulla ſpinalis, & perfectorum animalium teſtes,anſeres,palumborum,ſturnorum,merulorum, & paruorum uolucrum caro, turturis antiqui, & anatis, pauoniſque,ſenibus prohibenda.

Veluti uentriculi uolucrum omnium, cochleæ item, & lac acidum, caſeus, (uetus præſertim) buccinorum. aliorumque teſta intectorum caro; Gamarri, cancri, ſepiæ, uuæ aridæ, & auſteræ, ſiliquæ, ocimum,rapum, bulbi crudiores, paſtinaca, & omnes olerum radices. ipſaque olera uniuerſa,lactuca,intibo (quę exceptis)olera tamen aliquando euolliendi gratia uẽtris, in uſum (ut inferius patebit) uenire poterunt.

Sed nunquam comedere ſenex audeat, donec moderatam frictionem, poſt ſuperfluitatum excretionem, & ante exercitationem aſſumat.

Fricandumque eſt corpus nudis manibus, cum largo oleo dulci,donec probè caleſcat,& molliatur, ruborque floridus eſt floreſcat,& confricta particula in molem eleuetur,uentre pœnitus non contacto, periculum eſt enim & ipſos cibos prius concoqui, & ſemicoctum aliquem humorem digeri, & caput perturbari, & ſtomachum ſubuerti.

Quarè nardino unguento uenter perfundendus eſt, abſque defrictione, Aetio auctore.

Deinde

Deinde deambulet, & geſtationes conſuetas citra delaſſationem agat: uirium ſenis coniectatione facta.

Animi affectus uitet, præterquam gaudium, & moderatam lætitiam, & ſi modica ira ei competere poſsit, innatum nempè calorem ſuſcitando.

Dandum eſt ſenibus, cibus modicus, nam ſi paululum exceſſerint, non parum lædet. Senium enim uirtus imbecillis eſt, ac de facili à repletione ſuccumbitur.

Securius itaque eſt eis parum cibi offerre, uerùm ter in die, circa tertiam quidem horam panem probè paratum recentem, cum optimo melle deſpumato: circa ſeptimam uerò perfrictis, & conuenientibus exercitijs exercitatis, ac lotis, prandium exhibendum eſt, & primum quidem danda, quæ uentrem molliunt, uelut ſunt olera ex beta, & malua, deinde piſces petroſos præbere conuenit. Poſtea uerò paululum in lecto quieſcere, deinde moderato motu uti. Ad ueſperum autem cenantes, à piſcium eſu abſtineant, accipiant autem cibos boni ſucci, & ægrè corruptibiles, uelut eſt gallina, aut uolucris aliqua ex ſimplici iure.

Dando ſunt ipſis maturæ, & dulciſsimæ ficus uirides ante alium cibum, ſed in hyeme caricæ oleracea omnia (ut iam dictum eſt) præ alijs cibis edere oportet, ex oleo, & garo: emolliunt enim uentrem, necnon pruna ſicca, præſertim quę ab Hyſpania afferuntur. Damaſcena uerò in aqua mulſa meraciore præmacerentur, aut in ipſa decoquantur.

Sed, & oliuæ muria conditæ (ſi fieri poteſt) albæ præſumendæ ſunt, uentre uerò amplius ſuppreſſo, etiam mercurialis cocta detur; aliquando & reſina terebentina, de hac accipiendum eſt aliquando, ad nucis regiæ magnitudinem, aliquando ad duarum aut trium, nec ſolùm citra moleſtiam mollire ſolet, ſed etiam uiſcera extergere, & pulmonem, & rhenes.

Quinetiam, ſuppreſſa aluo ipſorum, infundere oportet oleũ ſolum calidum, nam, & dura excrementa hinc educuntur, & lubricitas quædam fit in tranſitu, & ipſum ſenum corpus molleſcit, inſtar aridarum pellium induratum.

Fructus ſubcaniculares praui ſunt ſucci, pręter ficus, atque uuas, quæ quidem inter fructus locum tenent principaliorem Gal. auct. præſertim quæ exactæ maturæ ſunt, propemodum nihil

hil

hil offendunt, & eorum flatus modico tempore durat, propterea quod facilè aluo ſubeant.

Mala punica incongrua ſenibus ſunt, ſic cætera mala,& pira priuſquam concoquantur, nec pepones, cucurbita, cucumeres eis conueniunt, (eorum præter ſemina) pro renibus abſtergendis.

Ex oleribus nullum boni ſucci eſt, in medio boni, ac mali ſucci ſunt lactuca, intybi, maluæ, blitum, atriplex.

Cępe, porrum, allium, raphanum, ocymum, braſsica, prauum ſuccum generant, at allium, cœpe,ac porrum bis cocta, humoris malignitatem deponunt. Mel ſicut crudum lædit, ſic perfectè coctum ſenibus conuenit.

Sed antequam ulterius progrediar, non abſonum mihi uidetur Dyoclis epiſtolam ad ualetudinem tuendam Antigono Regi conſcriptam in medium adducere, quæ quidem hæc eſt. Quandoquidem contigit tibi, ut omnium Regum maximus muſicus ſis, & plurimò tempore uixeris,omniſq. Philoſophiæ peritus ſis,& in Mathematicis diſciplinis primas teneas,arbitratus ſum eam Philoſophiæ partem quæ ualetudinis tuendæ præcepta tradit,haud alienam à Regia Maieſtate fore, eoque tibi perſcripſi, unde morbi hominibus oriantur, & quibus ſignis præcedentibus, quomodoq; ipſis ſuccurrere conueniat. Quemadmodum enim in cœlo nunquam tempeſtas ingruit, quàm non indicia quædam præcedant, quibus nautæ, cæteriſq. probe periti homines certiores reddantur,ita humanam naturam nullus inuadit morbus, quem non ſignum aliquod denunciarit, Tu itaque ſi iis quæ à nobis dicentur animum attendas,exactum illorum cognitionem indipiſceris. Hominis corpus in quatuor partes diducimus, caput ſcilicet, Thoracē, ventrem, & veſicam. Igitur, ubi caput morbo conflictaturus eſt, hæ plurimum notæ ſolent præcedere uertigo, capitis dolor,ſuperciliorum grauitas,aures ſonant, tempora ſaliūt, oculi mane tument,illacrimant, caligantque, nares oppletæ odorem non ſentiunt,dentium gingiuæ attolluntur. Quum ergo ex his aliquod accidit, caput purgare oportet, nullo quidem medicamento,ſed uel hiſſopi,uel origani ſummitatibus tritis, quæ in ollula cum muſto,aut ſapæ heminæ dimidio deferbuerint, atque hoc abſorbens ieiunus hos colluet, & gargarizando

do humores ex alto deducet, eaque capitis affectuum curatione, nulla leuior eſt alia. Optimè facit etiam ſi ſinapi mulſa calida dilutum ieiunus abſorbens gargarizet, pituitamque ex capite eliciat. Cæterùm caput operimenſis prius calefacere oportet, quo pituita liquefacta, promptè effluxioni pateat. Siquis hęc ſigna neglexerit, huiuſmodi ęgritudines ſolet experiri, lippitudinem, glaucomata, aurium uomicas ac eruptiones, in ceruice ſtrumas, cerebri cariem, quem ſphacelon Grę-ci uocant. Grauedinem, anginam, nictilopa, teredines, uuam, capillorum defluxus, capitis ulcera, & dentium dolorem. Quum autem à thorace morbus naſcetur, totum corpus incipit ſudare. thoraxque, lingua fit craſsior, ſputum ſalſum, aut amarum, aut bilioſum exiſtit, Dolor coſtas, aut ſcapulas ſine occaſione inuadit, oſcitatio frequens, uigiliæ, ſuffocatio, ſitis, ex ſomno animus triſtior, pectus frigidum, brachia & manus tremiſcunt. Succurrendum eſt prudenter hoc modo, Vomitus quàm optimè fieri poteſt, poſt cœnam ſine repletione, ſineque medicamento citari debet, utiles ſunt & uomitiones ante cibum, quas aliqui ſirmaiſmos appellant, hoc eſt leues purgationes. Oportet autem eum qui ſic uomet radiculas tenues pręſumere, naſturtium, erucam, ſinapi, & portulacam, mox aqua tepida ſuperbibere uomere: At ſi huiuſmodi indicia contemnantur, hi morbi ſolent obuenire, pleuritis, peripneumonia, melancolia, febres acutæ, phrenitis, læthargus, febris ardens cum ſingultu. Quod ſi à Ventre morbus orietur, hæc erunt ſigna. Venter prius cruciatur, turbaturque cibus, & potio amara uidentur, genua grauantur, lumbi nequeunt flecti, totumque corpus etiam ſine occaſione laborat, crura torpent, fæbriculæ exiguæ affligunt, his itaque cognitis, uentrem prius emollire oportet: non medicamentis, ſed uictu. Tutius enim eſt uti iis quibus nullus error committi poteſt, utpotè betis mulſa incoctis, alliis elixis, maluis, lapatho, mercuriali hęrba, & ex melle confectionibus. Omnia ſiquidèm alui ſubducendæ ſunt, ſi quod è ſignis intendatur, cnici ſuccum omnibus decoctis admiſcere oportet, ut quæ ſuauiora, & ſine periculo ſint; iam & læuis braſsica in aqua largiore cocta, eiusq. ſuccus ad hęminas quatuor potus cum melle, & ſale utilis eſt, uel ciceris, aut erui decocti, aquam eodem modo ieiunus utiliter

liter bibet. Qui nullam eiuſmodi ſignorum rationem habent, ij his morbis tentari ſolent. Alui profluuio, inteſtinorum torminibus, uoluulo, coxendice, febre tertiana, podagra, apoplexia, hæmorrhoidibus, morbo articulari. A Veſica qui naſcuntur morbi hæc dabunt ſigna, pleni ex cibo modico eſſe uidentur, inflationes uentris urgent, ructus, pallor totius corporis, ſomni graues, urina liuida, & uix erumpens, naturalia tument. Quum itaque huiuſmodi notæ apparuerint, odoratis, urinam cientibus tutiſsimè occurrere malo oportet, itaque fœniculi, apiique radices, uino albo odorato madefacito, atque huius diluti ciatos duos manè ieiuno ſingulis diebus propinabis cũ aqua dauci, ſmirnii, helenii, quodcunque eorum habueris, nam omnia proficiunt, ad hęc aqua citeris macerata cũ uino idem efficit. Qui hæc ſigna negligunt, hos morbos expectent, aquam intercutem, lienem magnum, iecuris dolores, calculos, renum cruciatus, urinæ ſtillicidium, & uentris tumorem, in omnibus huius modi indiciis infantes ſanè leuiori, adultos acriore curatione tractabimus, Cęterũ Anni ſoltitia in quibus hæc ſolent ingruere ſilentio prætermittenda non ſunt, ſed quæ in ſingulis alimenta conueniant, paucis exequemur, auſpicati ab hyemali.

Soltitium Hyemale.

Soltitium itaque hyemale uſque ad Vernum æquinoctium, auget in hominibus deſtillationes, humiditatesque, ac propterea calidioribus uti cibis, & parcius bibere, & uinum meracius bibere, atque & origano oportet, nec non ueneri indulgere, numerantur dies ad æquinoctium nonaginta.

Aequinoctium Vernum.

Hoc tempore pituita in hominibus creſcit, & dulcis ſanies ſanguinis, uſque ad uergiliarum ortum: utere igitur odoratiſſimis, ac acribus cibis, corpus exerceri, & uenus, ſunt autem ad uſque uergiliarum ortum dies ſex & quadraginta.

Vergiliarum

Vergiliarum Exortus.

Hoc tempore bilis amara augetur, amaraque ſanies uſque ad æſtiuum ſolſtitium, dulcia omnia tunc quę aluum moueant conueniunt, uenus quàm parciſsime exercenda, hinc ad ſolſti tium æſtiuum dies quinque & quadraginta exiſtunt.

Solſtitium Aeſtiuum.

Hoc anni tempus atrambilem ad uſque æquinoctium Autumnale promouet: quapropter aqua frigida, atque odoratis omnibus utendum eſt, uenus perniciosa, aut innocentius ſaltem quæ de ea præſcripſimus adhibeto: porrò ſunt ad æquinoctium Autumnale dies tres & nonaginta.

Aequinoctium Autumnale.

Hæc anni pars pituitæ copiam generat, tenuesque defluxiones, donec uergiliæ occidant, conuenit igitur tunc humores ex capite elicere, atque acerrima, atque odoratiſsima exhibere, uomitum rariſsimè citare, exerceri, atque concubitum uitare, numerantur ad uergiliarum occaſum dies, ſex & quadraginta.

Vergiliarum Occaſus.

Hoc tempore pituita ad uſque ſolſtitium hyemale in hominibus redundat. Quamobrem accerbiſsima eſt; uinum ſuauiſsimum aſſumere oportet, pinguibusque uti, & exercitari, ſunt autem ad ſolſtitium hyemale dies quinque & quadraginta. hæc Diocles, qui fuit Princeps Septæ rationalis poſt Hypocratem, & multa conſcripſit in arte Medica Galen. auctore, ſed quædam inſunt hac in ſua de tuenda uelitudine Epiſtola, quæ ambiguitate minime carent, perplexumque ſtudioſi animum reddere haud difficulter poſſent. Quapropter aliqua in ea ſcolia apponere propoſuimus, inquit, *Quemadmodum in cœlo &c.* Hoc eſt, ſicuti prudens nauta, ſigna futuræ tempeſtatis agnoſcit: ac proſpicit ne aliquid mali prꝫter ſpem accidat, ſic pari ratione ſagax Medicus ex paruis indiciis nè gra

uis futurus morbus eueniat prouidet, contrarium autem inſcii operantur, nam diem ex die expectant curationis facere initium; coacti tandem in morbi augmento, aut in ſtatu exhibere purgans medicamentum, uel ſanguinis miſsionem conſtituere. Vnde maximè æger conflictatur, nec (multoties) tanta temporis intercapedo ineſt, ut ſingula conuenientia auxilia ei præſtare Medicus ualeat, propterea Medicorum Princeps dixit: in principio ſi quid mouendum uidetur moue &c.

Hominis corpus in quatuor partes. Hic Dyocles Mancus uidetur, nam dereliquit iocinerem unam ex principaliſsimis viſceribus noſtri corporis, cuius ſingulis partibus ſanguinem deſtribuere pro confeſſo apud omnes qui medicam artem callēt habetur. omiſit etiam teſtes, quorum naturam totum corpus alterare Gal cum alibi tum ēt in li. de ſemine aſſerit, ac efficiūt ui ſua, ut id quod neq; mas neque fœmina per ſe, mas uel fœmina euadet, dantque robur, & perpetuitatem, & quantum ad eorum uſum docebat Gal. in eodem lib. attinet, propè ad cor ipſum accedere, frigeſcunt enim qui eos amiſerint, altera inſiti caloris origine priuati, omneque his corporis robur collabitur, perinde ac ſi ſenes fuerint, neque latæ venæ, neque ſanguis floridus eſt; Arteriæ etiam parum, & imbecilliter ſicut ſenibus pulſant, vnde patet teſtes animalibus & roboris originem eſſe, & caliditate multa totum corpus perfundere, atq; iccirco qui ipſis priuantur, depiles non modo mento, ſed toto etiam corpore euadunt, paruaſque non ſecus, vt dictum eſt, ac mulieres uenas habent, ac quaſi aliud quippiam magis q̃ animalia ſint, nulla venereorum libidine afficiuntur, vt in hoc, uel corde ipſo amplius habeant teſtes, ꝙ præterquàm quod caliditatem & robur animalibus exhibent, Generis etiam perpetuitatis, in cauſa ſunt &c. Sed purgabimus à ſycophantia Dyoclem, ſi meminerimus iocinoris poſitionis, nam ventriculo inteſtiniſque omnibus per venas & colligantem ipſam tunicam coniunctum eſt, ab eiſq. ſeparare ipſum haud quaquā eſt facile, propter figuram & lobos, qua de rè quando inter quatuor corporis partes uentrem connumerat, uiſcera omnia, quæ ſunt ſub ſepto tranſuerſo ipſum percipere fas eſt, interq; iecur exiſtere nemo eſt qui ambigat. Quinetiam, lieni per magnas uenas Galen. auct. in Pronoſt. copulatur. Teſtes verò non

com-

commemorat tanquam pudicundus loquens Regi, adde, ꝙ non intendit niſi cautiorem in propria tuenda ualetudine illum reddere, ne incidat in præter naturam grauiores affectus; in quos maxima ex parte communiter homines incidere ſolent, & quibus fortaſſe perfacile Antigonum affici exiſtimabat. Teſtium verò morbi ſunt de raro contingentibus. *Igitur vbi caput morbo conflicturus eſt, &c.* Cerebrum per ſe affici Dyocles ſupponit, non autem per conſenſum alterius uiſceris, quoniam tunc temporis mandans membrum initiò corrigere oportet, veluti & cauſam procatarticam ante omnia remouere, Supponit quinetiam ex auxilijs quę inſtituit, affectum ex cauſis & humoribus frigidis originem trahere, ſicuti etiam ex ſympſomatibus quæ in medium adducit conijcere poſſumus. *per glaucomata* ſpeciem ſuffuſionis intelligit, quæ à pituitoſorum humorum in oculos confluxu peruenit, ſed quid dicendum de *Angina & ſphacelos* qui affectus ex partium inflammatione ortum habent? Niſi velimus auxilio in calumniantium iniuria Dyocli eſſe, aſſerentes ex ſalſa pituita etiam inflammationes oriri poſſe, dum præſertim in aliqua parte ocluſa, atque putreſcente exiſtit, Verùm enimuerò ueteres omnia mala, quæ in gutture, vel faucibus fiunt, Et quæ ſpirandi difficultas ſequitur, anginæ nomine appellant. *Quum autem thorax, &c.* Thoracis appellatione & pulmooem, & cor, & coſtarum maſculos, & membranam illas ſuccingentẽ amplectitur, *totum corpus incipit ſudare*, propter illius partis calorem à corde ibi exiſtente per totum corpus tranſmiſſum, Verùm enimuerò licèt cor in medio thorace collocatum ſit, non æque tamen poſteriora, & anteriora calefacit, quia ipſius calor retro infringitur, tùm propter craſſitiem interpoſitorum muſculorum, & oſſium, tùm propter frigiditatem ſpinalis medullæ, & uertebrarũ, ideoque fit, vt rigores per dorſum inuadant, calor & ſudor in pectore, & uentre magis urgeant. Accedit, quod mucro cordis antrorſum uergit. Sudor quippe, niſi ſit ſimptomaticus, maximè prodeſt, nam quemadmodum aluus quotidie reſpondens, & urina, aliaque recrementa reddita ſanitati faciunt, ita ſudor etiam, cùm opus eſt effuſus non mediocriter corpus conſeruat. Ex cibo igitur dum concoquitur, duo recrementa generantur. Alterum quòd craſſius eſt, craſſiori-

bus inteſtinis tranſmittitur. Alterum quòd tenuius cum chilo adhuc fertur, In iocinore chilus in ſanguinem conuerſus, ad cauam uenam tranſit, quem ubi ſeroſi illi humores (quod excrementum tenuè appellatur) eò traduxerint, non conuenit, vt diutius in corpore maneant, ideoque renes, cauæ uenæ non procul à iocinore adhærent, qui illos recipiant, pauco ſanè adhuc aquoſo humore ſanguini permixto vehiculi cauſa, qui & ipſe purgari per cutis meatus debet, vocaturque ſudor, ſi itaque copioſior ſucceſſu temporis collectus fuerit, vt iã onus venis exiſtat, artificio elici debet, natura videlicet ceſſante, vel ob meatuum denſitatem, vel ob aliam cauſam; fiunt enim ſudores, uel natura humiditatem ſuperfluam euacuante, quando & optimè iudicium fit, vel quando non continetur in corpore morbi ratione, ſed, ſiue hoc, ſiue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant, *pectus frigidum*, hoc eſt externa thoracis pars, caloris enim fit reconcentratio, vt internas conflictatas adiuuet partes, hac etiam de cauſa brachia, & manus tremiſcunt, vellicanturuè. *Vomitus quàm optimè, &c.* Vomitio in thoracis affectibus hac tempeſtate in vſu admodum non eſt, nec Galenus eam comprobare videtur, Hypocratis tamen aphoriſmus illam fieri iubet, vbi dicit. *Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, quicunque purgatione opus habẽt, purgatione per ſuperiora indigere ſignificant, quicunque uerò infra per inferiora.* Generali præcepto docet purgare per ſuperiora humores, qui dolores efficiunt ſupra ſeptum tranſuerſum, & purgare per inferiora eos qui dolores afferunt infra ipſum. Addit autem, *ſi purgatione egeant*, nam dolores flatuoſi, quique à ſanguinis abundantia fiunt, uti laſsitudines phlegmonoidis, quamuis ſupra ſeptum tranſuerſum ſint, purgari ſupra non debent, quia non egent purgatione, reliqui tamen dolores, qui ab humoribus acribus, & bilioſis orti occupant os uentriculi, & partes thoracis ſolicitant, nondum parte quapiam firmati, ſed ab humoribus ſurgentibus orti, uomitione curantur; & præſertim quando ventriculus concomitatur, neque noxa inde ſequetur parti alicui, ſiquidem purgantia medicamenta ad uentrem ex partibus thoracis ducent humores, quos vomitu pellet æger, Si tamen ad caput aſcendant, melius eos quomodolibet uentris fluxu uacuare, neque enim per partes ſupra ſe-

ptum tranſuerſum intellexit caput, & collum, ſed eas tantum partes, quæ ſunt in thorace. Vomitus enim caput quàm maxime lædit, præſertim ubi caput iam laborat, aut ſit laborare paratum; *poſt cœnam ſine repletione*, nam ſi uenter repletus adeò ſit, vt diſtendatur, nec uenter comprimetur, nec hypocondria motu cieri poterunt, nec concuſsione ualide propellere, ſed cibi copia in uentre eam quantitatem ſeruet, ut uentrem impleat. aliàs non ſine magno labore hypocondriorum compreſsione uomet, *Sine medicamento* ſcilicet uiolento. Veluti ueratro albo, & agarico; quibus priſci Medici utebant: hac n. admonitione perſonæ Regię inſeruiuit Dyocles, ęquum enim eſt uiribus ægrotantis conſulere. *Oportet autem eum qui ſic uomet &c.* Apparatus hodiernus ad uomitum talis exiſtit, decoctum tepidum raphani cum oximellite, & oleo anetino, ſed primùm edat betam elixam aut braxicam ex aqua, aceto, & oleo, & melle; deinde pane in multo iure pingui, poſtea uinum bibet, ſintque inter edendum, quæ bibuntur trium generum, dulce, acidum, & auſterum, tertia autem horæ parte tranſacta, uomitorium deſumat ſuperius dictum, aut aquam mulſam copioſam bibat; deinde uomat moto corpore, immiſsis uidelicet digitis in os, aut penna oleo illita anetino, & uomat. adſunt alii ad uomitum apparatus, ſed hęc ſufficiunt. A uomitu uerò oculos frigida abluat, & faciem poſca; & quieſcens pirum ſaccaro conditum edat, aut roſarum conditum, aut ex corticibus mali citrei, & parum admodum bibat, ſitque aqua ex maſtiche, aut uinum odoratum, & quod non nihil habeat auſteritatis. *Quòd ſi huiuſmodi indicia contendantur &c.* Nec mirum ſi inter tot affectus calidos, frigidum connumerauerit, nam læthargus ſit quandoque poſt phrenitidem notam, diſſoluto tenui humore, aut translato humore calido aliunde, ut puta à pulmone, ſepto tranſuerſo inflammatis, aut ex toto corpore, per febres, præcedente caro, ac tandem humore in capite firmato frigido tantum relicto. *Quod ſi à uentre*, Dictum ſuperius à nobis eſt, ventris appellatione omnia, quæ ſub ſepto tranſuerſo viſcera exiſtunt (ſecundùm inquam Dyochlis mentem) percipi debent. Propterea *cruciatus* non magis de iis, qui in ventriculo, quàm qui in cæteris abdominis partibus fieri ſolent intelligit. *Cibus & potus amarus*, propter flauæ bilis exceſ-

ſum aliundè fortaſſe ad ueutriculum, aut ad uenas meſaraicas tranſmiſſæ, quæ ſi nō auferantur, totum corpus laborare eſt neceſſe, interpellata nempè perfecta ciborum concoctione, uirtuteque aſsimilatrice, à quibus ſpiritus oriuntur, *Crura quinetiam torpent* impedito ſpiritus animalis tranſitu, propter penuriam ipſius, natura enim non deficiens in neceſſariis, primò intendit ſuperioribus ſubuenire noſtri corporibus partibus, vbi viſcera principaliora exiſtunt, demùm inferioribus, in quibus ſi diutiùs excrementa firmauerint, perfacilè (eorum exhalationes præſertim) caput petunt, undè nonnunquam aliquid de ſpiritu animali diſſoluunt. Aliquando uerò tanta fit ab eis ſpirituum reſolutio, vt cerebrum admodum refrigerent. *Qua de rè pituitoſi oriuntur humores, qui ad crura deſcendentes, vt illa torpeſcant in cauſa ſunt.* Eſt enim torpor, ſiue ſtupor, parua quædam paralyſis in qua ſi à refrigeratione, aut compreſsione nerui perfectè ſpiritus animalis aditus ad partem intercipiatur, paraplegia, ſin ad totum corpus, apoplexia efficitur, *febriculæ exiguę*, putrefacto excremento iam dicto. *Ventrem prius emollire oportet non medicamentis*, Nam quæ purgari debent oportet fluuida facere, medicamenta ſiquidem quæ in vſu erant apud Antiquos, ante emollitionem tuta haudquaquam ſunt, adeſt enim in his mordacitas non admodum ſpernenda, atque uiolentia, & aliundè materiam ducunt ad os ventriculi, quæ vomitus, necnon aliarum prauorum ſymptomatum ſunt in cauſa. Caſsia verò, ſerapio uiolaceo ſolutiuo, Māna minimè ſena adulterata, nos uti poſſe crediderim, & ſi alia non præcederent emollientia, nam etiam lænitionem unà cùm debili ui ſolutiua poſsident, *allijs elixis* ad expellendam flatuoſitatem uentris, permiſceri tamen debent cum emollientibus enarratis, nam ipſe calefacit, atque deſiccat propè quartū exceſſum. *cnici ſuccus* decoctum ſeminis eius preſtat magis, nam ipſum vim habet ſoluendi leuiter, chartamū hodie appellitant. *Aquam eodem modo ieiunus utiliter bibet* Aquam calidam intelligit, quæ ventriculum abluit, & de alimentorum fęcibus pituitam purgat, omnemque putredinem aufert, ac ventrem ſoluit, hæc Gordo. *Quòd ſi nulla eiuſmodi &c.* *Alui perfluuium* quoniam propter affectus longitudinem facta eſt imbecillitas inſtrumentorum concoctioni inſeruientium

tium, nec non ob aſsiduos cruciatus aliqua exulceratio fit, qua uentriculus alimentum amplecti haudquaquam ualet, neque perfectè concoquere, adde defluxum quorundam è ſupernis ad uentris ſpatia, ob præcedentem, ac longam mordicationẽ cauſatum, pari ratione inteſtinorum tormina eueniunt. *Voluulus*, quinetiam continua ciborum corruptione, ac cruditate, maximè uerò ex pinguibus carnibus, quæ ſubinde corruptionem, expertę, & retentæ, obructionem in tenui inteſtino creat. At qui haſitat quòd coxendici doloris generationem cruditates antecedant? Nam huius mali cauſa eſt craſſus, ac lentus humor in coxendicis articulo infarctus, *febris tertiana* ob putreſcentem humorem bilioſum in meſaraicis uenis exiſtentem *Podagra verò*, ſeu morbus articularis nõne à cruditatibus aſsiduis generatur? Veluti, & à colico dolore perperam curato, nec aliter aſſerendum de apoplexia, nam imbecillitate & affectibus uentris interioris neglectis, humores augentur pituitoſi, qui Cerebrum occupantes, hoc eſt uentriculos eius principaliſsimos una uice & cumulatim replentes. *Hemorroides* à feculentiſsimo ſanguine attrabilioſoq. à iocinore tranſmiſſo eueniunt. Ecce igitur, quod ab effectibus inferioris uentris (qui totum ferè amplectitur abdomen) neglectis, ſingula commemorata mala euenire dubio procul poſſunt. *A Veſica &c. Pleni ex cibo* veſicæ morbi proprij ſunt ſtillicidium urinæ, difficultas, & ſuppreſsio, communes uerò cæteris partibus, tumor, dolor, intemperies, frequentiſsimi calculus, exulceratio, rariores inflammatio, & abſceſſus, rationi conſonum eſt principaliter Dyoclem propriorum notas oſtendiſſe, non autem manifeſtas, quoniam illæ ſenſui patent, ſed ſub ſequentes eas, nam proprio ueſicę munere impedito, urina haud rarò ad partes ſupernas retrocedit, propterea pleni ex cibo modico ægri uidentur, & malam totius corporis habitudinem conſtituit, quam ſomni graues, urina liuida, inſequuntur; à mala intemperiè frigida affectu principaliori orto, nec non à pituita ipſa ſicuti uidere licèt, & ab auxilijs calidis ab Auctore in medium adducitis, *quę ſi neglecta fuerint*. Omnia conſcripta mala euenient, & calculi tenuem præſertim ex humore pituitoſo in ijs denſato, *Solſtitium*, Annus ſolaris à Iulio Cęſare conſtitutus, eſt trecentorum ſexagintaquinque dierum, & quarta parte,

quod

quod ſimiliter Plinius lib. 18. natur. hiſto. cap. 25. in hunc modum ſcripſit: Primum omnium dierum ipſius Anni, Solisque motus, propè inexplicabilis ratio eſt, ad 365. adiiciunt etiamnum intercalarios diei, noctisque quadrantes. Cæterùm Annus ipſæ totus quatuor partibus diuiditur. Ab Aſtrologis. & Philoſophis per æquinoctia, & ſolſtitia. Singulis autèm Annis duo ſolſtitia ſunt, unum ęſtiuum; alterum hyemale, ſunt enim duo tropici, hibernus & æſtinus: hybernus eſt per quem Sol tranſmittens octauam Capricorni partem, ſolſtitium hybernum facit, quo tempore Sol altiores incipit circulos petere: ęſtiuus uerò per quem Sol octauam partem Cancri tranſmittens ſolſtitium ęſtiuum facit, quo tempore remeare Sol ad inferiores incipit circulos, Solſtitium æſtiuum incidit in ipſas idus Iulij, ut hybernus in idus Decembris. Sic & ęquinoctia duo ſunt, Vernale ſcilicet & Autumnale, Vernale fit quando idus Martias, uel circa octauam Kalend. Aprilis, & in octaua parte Arietis conficitur. Autumnale decimooctauo Kalend. Octobris, ante uergiliarum Occaſum diebus quadraginta. A ſolſtitio igitur hyberno, uſque ad uernum æquinoctium nonaginta dies percurrunt, & tunc temporis ratione aeris nos ambientis frigiditatis, cerebrum compimentis, deſtillationes augentur, radii etenim ſolares cum obliqui in illa temporis intercapedine ſint, aerem excalefacere minimè poſſunt, quinimò humidum uaporem à terra attrahũt, nec ſufficienter eum diſſoluere ualẽt, vnde caliginoſus, & opacitate plenus aer euadit, qui eſt tamquam ueiculum ad frigus in corpus ducendũ. Rationi igitur conſonum eſt, calidioribus uti cibis, & parcius, & meracius bibere, nè contrariæ qualitates augeantur, ſed animaduertendum, quod non ſemel tantùm, aut raró, vt multi faciunt in menſa bibendum: tali enim pacto cibus perfectè commiſceri haudquaquam poteſt, ſicuti nec bis tantùm bibere in ſplendida menſa, nam potus quantitas alimentorũ quantitati reſpondere debet, qui copioſum aſſumit alimentum copioſo egebit potu, nec tanta nihilominus eius ſit copia, vt cibos in uentre natare faciat. Qui verò in quorum ventribus non facilè permeat, deſcendit, & digeritur cibus, poſt integrã, atque perfectam coctionem, nè crudus cibus deferatur in iecur, potu delatiuo vti debent, perfecta autem concoctio intel-

ligitur

ſigitur ſexta à cibo hora, aut ſeptima, & in ſumma ubi ructu quopiam ſuperueniẽte, is nullam ciborum qualitatem refert, quo tempore ſi grauitatem quempiam ſenſerit, aut ſitis moleſtetur oportunè bibet, nec præſumendum, vt aliqui faciunt, in delatiuo iſto, ut fructus, aut aliud ſimile præſumat, nam delationem illam impediret, aut crudum præſumptum illud, potus delatiuus ad uenas tranſmitteret, quòd maximi eſſet nocumenti. Præterea, menſas potu claudere expedit illorum, quorum venter ſiccus eſt, aut ſiti moleſtantur, illi inquam non longè à cibo, ſed parum ad finem menſæ bibere debent. ſic etiam eis quibus nulla praua adeſt ventriculi affectio conuenit finito prandio, aut cœna, parum uini ſi ita aſſueuerint ſumere, vt poſtremus ille cibus è gula deſcẽdat liquetur, & commiſceatur alijs cibi partibus, quo uino, os & dentes colluere poterit, illæ præcipuè, qui capitis malis tentatur.

At, is cuius os ventris laxum eſt, aut cuius caput ex uini potu compatitur, eget cibo quopiam adſtringente poſtremo loco, quem non ſequetur potus. *Et vinum meracius bibere*, hoc. erit uinum acre & uinoſum, quod calidius aliis eſt, habebitq; id colorem, aut fuluum, aut maiori parte flauum.

Eſt etiam quoddam album, ſed minus fuluo, & flauo potẽs, tentant uinoſa uina, caput, & neruos, ſed uentri ſunt utilia, & ex ætatibus ſenibus conferunt, quædam ſunt alba ex temporis antiquitate reddita acria, & ualida, quædam ex natura talia, quæ præter id quod immodicè calefaciunt caput & neruos uehementius tentant, & articulos lædunt.

Vinorum nigrorum tenuiora laudantur, parum adſtringentia, ſed omniũ optima quę mediam ſeruant naturam, quæ uerò ex nigris graſsiora ſunt, ſanguinem multum generant, & melancholicum, ſunt & uina quædam languida ex natura ſua quę citò aceſcunt, & turbantur, ac putrent.

Vina dulcia craſſam habent ſubſtantiam, & in meatibus iecoris retinentur, nam & ab ipſo celeriter trahuntur, lædunt iecur inflammatum, & ſcirroſum, & obſtructione laborantem, lędunt & lienem, ſed minus quàm iecur, inflant hypochondria, & ab ipſis multus flatus & craſſus eleuatur.

Proſunt autem his, quæ à pulmone educi debent, quoniam non obſtruunt meatus adeò amplos, ſed urinis, aut ſudoribus

eliciẽdis ſunt incommoda, quemadmodum bilioſis ſiquidem dulcia facilè in bilem tranſeũt. Verùm ea, neque ualdè calefaciunt, ſcito tamen dulcia non eſſe uehementer calida, neque caput tentare, aut neruos ferire. Muſtum coctum ad horum uinorum naturam propè accedit, ſiquidem dulce eſt, & craſſæ ſubſtantiæ. Vinum auſterum in uentre diutius immoratur, neque facilè uenas permeat, aut ad urinam defertur, proderit uerò fluxionibus uentris, & cœliacis morbis, inuenitur quoddam album, & parùm auſterum, quod ſanis hominibus admodum conuenit.

Vinum pueris, Platone auctore, exhibendum non eſt uſque ad decimumoctauum annum, cum non deceat (inquit ipſe) ignem igni addere, ſic & Galenus à Platone non diſſentiens ait, Vinum humectat, caput replet uaporibus, atque totum corpus, pueri humidi ſunt, & uaporibus pleni.

Vinum quinetiam, pueros mouet ad iracundiam, & libidinem, ac rationalem animæ partem occupat, hebetat, atque cõfundit, & cętera procreat pueris mala, ſecundum Gal. quæ breuitatis gratia omittam, Sanè. Vinum ſicuti pueris eſt alieniſſimum, ita ſenibus eſt aptiſſimum Vinum mulſum conficitur, duabus partibus uini & una mellis mixtis, quidam etiam tribus partibus uini, unam mellis miſcent, quæ igni lento admota tamdiù bullire permittunt, donec mel totam euomat ſpumam, eſt id pituitoſis utile, & his qui lapides, aut arenulas in renibus congerunt, & ſenibus, & febribus pituitoſis, & annaſarca laborantibus.

Miſcẽt etiam quidam uini ſex partibus, unam mellis prius deſpumati, quibus deindè breui mixtis igne lento addunt malabatrum; & zingiberum, fit etiam ab aliquibus uinum mulſum ex decem uini, & una mellis parte, addito cinamomo, cariophilis, & zingibero, conficiunt quoque aliqui uinum coctũ, muſto ipſo elixato ante integram uini coctionem quæ à natura fit, id craſſum eſt, & excrementoſũ, & difficilè à natura ſuperatur, implet caput, neque urinis, neque ſputis mouendis eſt accõmodatum, quinimò ſaluti pernicioſiſſimum eſt.

Damnantur etiam uina calce, aut gipſo condita, hæc enim exiccant uehementius, & falſam generant pituitam, nec non ſcabiem, & impetiginem; uentrem turbant. Et inteſtina irritant,

tant, ita ut uſu frequentiori incidant in difficultatem inteſtinorum, & alimenta quæ ipſis miſcentur intempeſtiuè per uentrem deſcendunt, neruos lædunt, & ueſicam, caput grauant, & inflammant, ſed contra uenena proſunt.

A Vinis nigris deſtillatione, ui ignis aqua educitur, quam aquam uitam ipſam nominant, quæ igni appoſita inflāmatur. Quapropter doloribus à cauſa frigida medetur, flatusque diſcutit, & aurium doloribus ab eiſdem cauſis ferè ſubito auxiliatur: adhibenda tamen non eſt doloribus, qui à multo humore fiunt, tùm quia humorem diffunderet, ac perindè dolorem augeret, tùm quia tenui parte humoris diſſoluta, reliquū obduratum relinqueretur, perniocißima etiam eſt conſuetudo, quę apud uulgares extat homines, qui quouis mane æſtatis tempore, unius unciæ quantitatem aquæ uitæ bibunt, hæc .n. bilem adauget, & eius generis febres, eo maximè tempore generat.

Acetum ex uini corruptione fit, habet uim extenuandi corpus, & humores incidendi, digerendi, & calidos dolores ſedandi, repellit, infrigidat, & coagulationem ſanguinis, atque lactis prohibet, aduerſatur uenenis, ac ipſa ſuperat, cùm ſale uerò hirudines reiicit deuoratas.

Colluitur ad dentium dolores, miſcetur alimentis, & condimentis, redditque eorundem gratos ſapores, ubi aliàs, aut ualdè dulces, aut ualdè pingues forent, ſeruātur etiam in ipſo, aut ex ipſius, & ſalis mixtione multa, nec diutius ſeruata putreſcunt. Meſſores uini loco eo utuntur, aqua copioſè mixta, eſtq. id quod poſcam appellant, ad eam menſuram dilutum, ut bibi poſſit, cui ſi oleum, & panem addas, cibum conficies refrigerantem, utilem laborantibus, & iter agentibus ſub æſtu ſolis. Et hæc dicta ſufficiant, quæ dicenda de Vino propoſuimus, addita illis, quæ ſuperius enarrata ſunt.

Nunc ad reliquas Dyoclis Epiſtolæ partes reuertamur. *Nec non ueneri indulgere*. Venus ex Anni temporibus optimum eſt, ac ueneri aptißimum Vernum, ſecundùm locum habet Autumnus, tertium Hyems, quartum Aeſtas, ſed conuenit tantùm iis, qui ætate florent. Ex temperaturis calida & humida, reliquis ad ueneris uſum eſt magis idonea, & quæ minus lęditur, cæteris verò ętatibus nocet, præſertim ſenibus, & reli-

quis temperaturis maximè frigidis, & ſiccis, & multò magis hyberno tempore, in quo frigiditas admodum præualet. Quibus igitur venere uti licèt, ij corpore non pleno, aut cibis, aut excrementis, ſed coctione ciborum iam completa, interue niente ſomno, moderatè coiire poſſunt. Et ut ait Hypo. labor, cibus, potus, ſomnus, omnia moderata. Immodicus etenim, aut intempeſtiuus venereorum uſus fœminas parum lædit; mares uerò ualdè: laborant enim maximè lumbi, & dorſum; deindè animalis facultas diſſoluitur, & uitalis ſpiritus, & corpus uniuerſum refrigeratur, & cruditates aceruantur, & neruorum morbi ſuboriuntur, uti tremor, paralyſis: prætereа obliuio, & urinæ ſtillicidium, Viſus hebetatur, aurium tinnitus fit, dentium dolores, oris fętor, ſanguinis mictus, gonorrhæa, & ſępe articulorum dolores, & puſtulæ ulceroſæ per corpus erumpunt, nocet quoque uenus defatigatis, & purgatis. Quapropter qui continens eſſe, uult ab iis alimentis abſtineat quæ multũ ſanguinē generant, & flatum augent, ueluti ſunt, carnes agnorum, perdicum, ategenarum, anſerum, & anatum. Ex piſcibus polypus, oſtrea, & anguilla.

Præterea eruca, rapum, faba, cicer, faſelus, piſum. parcè etiam comedat, & bibat, laboribus quinetiam utatur corporis, & animæ, Si uerò quis immodicè coierit, uirium eget reparatione ſenſim facta, per alimenta quę facilè coquantur, & bonum præſtent ſuccum, quieſcat quoque, & abundè dormiat, hęc enim reſiccata corpora humectant, & reparant.

Aequinoctium. Duo ſunt æquinoctia, vernale ſcilicet, & Autumnale, Vernale fit quarto Idus Martias, uel circa octauum Calendas Aprilis, & in octaua parte Arietis conficitur, Autumnale decimooctauo Calendas Octobris, ante uergiliarum occaſum diebus quadraginta, Vergiliæ enim, ſeu Pleiades ſeptem Stellæ in genu Tauri ſunt, & oriuntur circa æquinoctiũ uernum matutino tempore. In duas igitur partes ver Dyocles ſecat, quarum prima eſt illa, quæ ſequitur hyemem quadraginta ſex continens dies in quibus ratione hyemis annexus humiditas non ſpernenda ineſt, cui addito moderato aeris calore pituitoſum ſanguinem procreat. Quapropter aliquo pacto corpus deriuare non eſt inutile, uſus igitur moderatus odoratiſsimorum, ac acrium alimentorum admodum conuenit, ueluti exercitiĩ & ueneris quæ omnia uim habent

deſic-

deſiccandi. Altera ueris pars ad ſiccitatem, & caliditatem ſecundùm Dyoclem tendit, non autem ſummè, propterea dulcia ad aliquo pacto illam humectandam ſiccitatem conuenire fas eſt, Veneri quinetiam non prorſus indulgendum, ſicuti in hyeme & in æſtate conſtituit.

Solſtitium æſtiuum in æſtate ſummæ caliditatis, & ſiccitatis ratione humores perfacile comburi cenſendum, quapropter aquam frigidam caliditatis, & ſiccitatis exceſſum contemperare arbitrandum.

Aequinoctium ſicut Ver, ita Autumnum in duas ſecauit partes, prima Aeſtati cohærens, in qua pituitæ copiam generari aſſerit, nec præter rationem, nam ubi dies caniculares deſinunt, tepeſcit æſtas, & matutina frigora oriuntur, & mutatio fit ab æſtate in hyemē, & quod mutatur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, ab æſtate ſiccitatem habet cū quodam calore, cuius eſt extremum, ab hyeme uerò ad quam ſe applicat frigiditatem cùm quodam humore. Quod enim mutatur, aut in contrarium, aut non tale mutatur, ita fit, ut propter inæqualitatē, & repentinam caloris, & frigoris in aere mutationem calor natiuus æſtate penè diſſolutus uariè agitetur, intrò, foras, & è contra, indeq́ ſeipſo, imbecillior fiat eſt conſentaneum, undè uirium infirmitate humoribus dominari nō poteſt, & accedente tranſpirationis ſuppreſsione, tenues generantur defluxiones. Dietæq. uitiū, fructuumq. uſum, in pituitoſis procreandis humoribus non parum lædere in huius temporis conſtitutione quiſque medicus haudquaquam abnegat. *Conuenit igitur humores ex capite elicere*. Caput enim maximè aeris permutationi ſubiicitur, à quo deſtillationes originem trahunt, propterea apophlegmatiſmis, ut ſuperius dictum eſt. Caput purgandum, necnon illud melius cōtegere, ualidæ quinetiam erunt ablutiones, cùm decocto camemali, ſaluiæ addita portiuncula aquæ uitæ, hæc enim uim habent cerebri ſuperfluitates deſiccandi, *Atque accerrima, atque odoratiſsima exhibere*. Hic animaduertendum eſſe puto, accerrimorum uſum in nulla temporis conſtitutione ſalubrem eſſe pro alimento, ſed pro medicamento; tantùm illa etenim quæ acris ſunt ſaporis, Omnium calidiſsima ſunt, in his enim rebus inuentus acris ſapor eſt, quæ exurere poſſunt extremò calore, ut in pipere, & al-

liis

liis, pire trò, naſturtio; quorum quædam edi poſſunt, quoniam aliquam habent adiunctam dulcedinem, quædam adeò uehementer acria ſunt, ut neque deguſtare ea citra noxam poſsint, ut thapſia, calida nempè uehementer ſunt & arida, amarorum uires ualdè ſuperantiam, nàm quæ amara ſunt detergunt, hæc uerò exulcerant, erodunt, & exurunt, hoc ſaporis genere prædita ſunt multa lætalia uenena.

Quarè ſano modo Dyocles eſt intelligendus dum in Autũno, atque in hyeme acerrimorum uſum præcipit, ad pituitam corrigendam, ijs ſolummodo uti debemus, quæ humanã non tranſcendunt conſuetudinem, & hoc cum præmeditatione faciendum, ne maior quantitas, quàm liceat læſionem procreet hæc namque & ſimilia, quiſque in frigidis conſtitutionibus cũ alimentis mediocriter excipere poterit, nempè allia, cœpas, piperem, hypoſſellinum, marathrum, aniſum, pulegium, calamentum, & his ſimilia.

Odoramenta quinetiam iubet, ad cerebri ſuperfluam humiditatem deſiccandam; odor autem non niſi fumida exhalatio exiſtit, quæ profectò ignea eſt, quo circa & peculiare ſenſorium olfactus in cerebro ſitum eſt.

Vomitum rariſsimè exerceri. Quoniam humores tunc temporis maxima ex parte uiſcidi ſunt, frigidique; humores uerò acres, & bilioſi uomitu egent non craſsi, atque pituitoſi in aliqua parte firmati, præſertim in capite, ut ab Authore ſupponitur. *Exerceri*, Exercitationem non omnem corporis motum appellamus, ſed ualidiorem, ita ut reſpirationem ad crebritatem uſque mutet, quam hæc tria in corpore neceſſariò ſequuntur, membrorum duritia, ob partium uehementiorem attritum, genuini caloris augmentum, ſpiritus concitatior motus, ad hæc uerò magna ſequuntur commoda, quæ intelligenti patent, & Plato in Timeo dicit exercitium roborat, quies uerò contabeſcit, uentroſos efficit homines, pigros, & ſegnes, inualidos, & inertes, calorem refrigerat, & extinguit, pituitam auget, corpus excrementis implet, ad quæ innumeri ſequuntur morbi.

Pars uerò ſecunda Autumni, frigidior prima exiſtit, tùm quia magis à calore æſtatis recedit, tùm etiam quia ad hyemis frigus magis accedit: Qua de rè omnia auxilia, in hac ualidiora,

ra, quàm in altera inſtituenda ſunt. *Pinguibusque uti*. Hoc (mea quidem ſententia) dixit, quoniam ad caliditatem, atque dulcedinem tendunt, Indicans frigida, acerba, eſſe in frigidis temporibus uitanda, & dulcia ſumenda quæ temperata, & temperamento proxima ſunt, & nobis familiaria, & quæ maximè omnium alunt, ſunt hæc omnia calida pro ratione dulcedinis, nam quę ſapores mixtos habent, mixtas poſsident naturas, pinguia uerò paulo minus calida ſunt, Vult igitur Dyocles nobis oſtendere, ſi non calidioras ſaltem minus calida in Autumno edere quiſque debet.

Sed hic obiicere poterit ſtudioſus. Quanàm de cauſa cum tribus modis noxius ſit Autumnus, propter diſſolutionem uidelicet natiui caloris, & propter aceruatam bilem æſtate retorridam, frigore quod apertis poris facilè ſubit, intùs cohibitam, Et ob dictæ uitium, fructuumque uſum, qui prohibita tranſpiratione putredinem perfacilè acceſſunt. Vnde etiã morbi difficiles ſub eo tripliciter exiſtunt, primùm ſpecie, quia atrabiliarii; deindè uirium infirmitate, quæ humoribus dominari non poſſunt, tertiò tranſpirationis ſuppreſsione, & maligna putredine.

Quanam de cauſa (dicet aliquis) pituitam tantummodo hãc anni partem generare Dyocles dixerit, atrambilem uerò ſilentio prætermiſerit? Sed ęſitare deſinet unuſquiſque dum in memoriam reduxerit ſuperius Dyoclem dixiſſe atrabilem, (ut uerè eſt) in ſolſtitio æſtiuo generari, nam, tunc temporis magis feruefiunt humores æſtu incaleſcente, ex quo ſicciores relinquuntur, qui nè procreentur inſtitutiones aliquas ibidẽ in medium adduxit. Autumni initium uariis omiſsis ſententiis, medicorum obſeruatione, & uarietate regionũ, ſe prodit fractis primùm caloribus, & cum noctu, ueſpere, & matutino frigus, progreſſo ſole, & in meridie calor, atque omnino modo calidum, modo frigidum, atque ſummatim inæquale Cœlum eſt, & generatur craſſus humor, qui aut pituitoſus eſt, aut melancolicus, pituitoſus in quo humiditas frigiditasq́ue melancolicus in quo frigiditas, atque ſiccitas dominatur, Et ſi in Autumno uterque eorum procreari poſsit, pituituoſum tamẽ dominari (in ſecunda pręſertim eius parte) cenſendum, fracto (ut diximus) calore, in æſtiuo autem ſolſtitio contra res ſe

habet attrabilioſum ſuperabundare, arbitrandum quippe eſt; Singuli iſti humores in corpore firmati ob inhibitam reſpirationem facilius putreſcunt, & uarias conſtituunt præternaturales affectus, prout maiorem, aut minorem in hnmano corpore morum traxerint, & prout magis, uel minùs aſſati fuerint, & in Autumno multò deteriori conditione, (propter triplicem prælibatam cauſam) accidunt morbi, quàm in cæteris Anni temporibus.

Mirari quinetiam quiſque poterit, quà ratione Dyocles morbos in diuerſis ætatibus euenientes prætermiſerit?

Ab admiratione prorſus liberabitur, ſi meminerit ætates, temporibus Anni quatuor reſpondere, ſeu ſimiles in qualitatibus eſſe; Adoleſcentia nempè, Veri iuuentutem Aeſtati, primam ſenectutem Autumno, ultimam hyemi, & propterea eedem ferè inſtitutiones medicæ in his, ſicut in illis requiruntur, proficereque ualent.

Vel dicendum, ac fortaſſe rectius, Dyoclem (ut aliàs indicauimus) Epiſtolam hanc pro Regis Antiochi ſalubritate ſcripſiſſe, nec opus fuit de cæterorum ætatibus mentionem aliquã facere, tali enim pacto maiorem Regis benenolentiam ſe con ſequutum fuiſſe fas eſt coniicere.

Ad noſtrum igitur redeamus inſtitutum, ad quorundam ſenilium affectuum præcautionem, curationemque deueniamus. Inter pleroſque igitur alios affectus corporis ab Hypoc. commemoratis, quibus ſenes in dies torqueri ſolent unus nephriſis, ſiue lapidis renalis morbus exiſtit, quo detenti, grauẽ in rhenibus dolorem, aculeique infixi inſtar ſentiunt, potiſſimumque cùm cibo impleti ſunt, aſſumptis indè cibariis, ex quibus ſanguinis multitudo creatur, uel alimenti recrementis in inteſtinis collectis. At dolor in dextra parte, ſi ren dexter, in ſiniſtra uerò, ſi ſiniſter fuerit ren affectus. Quinetiam affecti renis, ſtupor fœmoris aduenit, nam ſi dextrum femur ſtupor occupauerit, dexter ren, ſi læuum, ſiniſter ægrotabit, aliquandò teſtis affectæ regionis indolet, retrahiturue. Inter initia quoque pituitoſi uomitus fiunt, poſtmodum uerò ærugino ſus ſuperuenit: à quibus uomitibus, læuiores ægri fiunt, & euadunt, cùm cibi euacuati ſunt, & ab acceſsionibus quidèm liberantur, ſed non ab affectu, arenulæque ſubſident, aliquan-

dò

dò etiam cruentum meiunt. Quandoque ab initio dilutas puraſque reddunt urinas; deindè ſequentibus diebus, craſſum aliquid in vrina ſubſidere uidetur, demùm oĩno arenoſæ minguntur. Lapide uerò cùm urina exeunte, & à dolore li-berantur, & ſimul locus affectus manifeſtatur, nullusque quæſtioni locus relinquetur, nunquid uidelicet, coli inteſtini, uel renum partes affectæ fuerint.

Quinetiam, ſpina ægrè flecti poteſt, & totum corpus admodum pigrum eſt. Vrinæ circa obturationis principium paucæ, & aquoſæ minguntur. Poſtea uerò earum perfecta ſuppreſsio contingit: dum ſcilicet morbus, ſeu lapis magnus eſt, aliter autem urina, haud prorſus ſupprimitur. Aluus eorum multotiens nihil excernit, uerùm promptitudines multas ad egerendum facit, excernitur aliquandò ſanguis, propter calculorum uiolentiam, præſertim aſperorum.

Cæterum ubi lapis è renibus fuerit emotus, & ad ueſicam delatus, urinæ multæ prodeunt, arenoſam ſubſidentiam habẽtes, & aluus ſimiliter largè egerit.

Quæ quidem ſymptomata maiora, minoraué, calculoſis ſecundùm affectus magnitudinem eueniunt, à quibus quiſque ſenex præcauebit ſi caloris innati cuſtodiam habuerit: eius n. imbecillitate præſenti, rhenes ſæpius obſtruuntur, & lapides generantur, quando, ſ. tenax, uel craſſa ſuperfluitas ibi firmata, in ſimilem callo ſubſtantiam tranſierit, talis autem pituitoſus ſuccus ab offenſæ concoctionis, (quæ à ventriculo fit) permutatione contingit, permutantur etenim cibi, non ut oportebat, iuxta qualitatem uidelicet, quæ nutrire poteſt, cuius uitiatæ concoctionis cauſſa, aut uentris intemperies frigida, (de ſenibus enim ſermonem habemus) aut propter immoderatã ciborum, ac potuum ingeſtionem, aut ob uitioſam ipſorum ciborum qualitatem, aut ex intempeſtiua, aut etiam inordinata ſumptione, aut ob recrementum uitioſum, aut ob vigilias. Vt nè igitur, quis in cruditatem deprauatam ciborum alterationem incidat. cautione in omnibus prædictis eſt utendum, ut neque in multitudine, neque in qualitate eorum, quæ in cibo accipiuntur, neque in acceptionis opportunitate, neque in ordine, delinquat, quæcunque igitur concoquere ualet, ea tantùm ingerat; & non quæ appetitus expoſtulat, ſed il-

lud tantùm modo quod uires tolerant accipere,neque quę natura difficulter concoquuntur,à pinguibus,ſalisq. condimento ſeruatis,ac uetuſtis caueant,ex oleribus, quæ igneæ ſunt naturæ ualdeque frigida.

Item, quæ inflationem pariunt incommoda ſunt. Ex piſcibus qui duras carnes habent, & repoſitione arefacti, omnes mali. Vitent fructus dulces, aut flatus generantes,& immaturos. Oleaginoſa, peregrinos cibos, & inconſuetos medicamentoriamque uim habentes.

Iuxta tempus autem accipiendi cibi,neque impetuosè,neque aceruatim, neque ſolidis partibus, aut abſque commanducatione eos ingerere oportet, neque etiam potus cibum interpellet. Id enim vnitionem ciborum impedit,ſingulosque innatate facit.

Poſt acceptum cibum,uexationes inæquales, & conturbantes uitandæ. Item æſtus, & refrigeratio. Hæc enim concoctioni ciborum reſiſtunt,adiuuant autem eandem fricatio pedum, & calefactio præcordiorum; contuberniumq. calidius, necnon expanſa manu os uentris apprehendendum eſt, aut puerulus carnoſus admouendus.

Cęterum ructo iniucundo proueniente,citra cunctationem ad uomitum veniendum eſt,atque aqua tepida ingeſta,omnia corrupta ad excretionem cogenda, Commodiſsimus enim in plurimis periculis vomitus exiſtit.

Quòd ſi quis natura difficulter uomat, aut ob aliquam aliā incōmoditatem uomere impediatur, Omnimodo conandum eſt,vt cibus ſubeat,& ex præcordiis deducatur.

Ad hæc erectior cubitus apparet,vt ea,quæ capiti ſubiiciantur, ſublimius inſternantur. & reclinatio ipſa in ſiniſtrum latus fiat. Atque ſiquis uigiliis infeſtetur, citra corporis uexationem permaneat; eandem formam decubitus obſeruet. Frequentes enim agitationes cibos perturbant, inteſtinaque inflata reddunt.

Flatus autem cibum ſurſum vergere facit. Ptopterea corroborandus uentriculus eſt, Corroboratus enim inde uenter celerrimè quæ in ipſo hærent extrudit, & ad ſubiectas partes demittit.

Quinetiam,manè à lauacro,cibum capere conuenit moderatum,

ratum, & cui concoquendo corpus ſufficit.

Dabimus itaque cancros fluuiatiles, ita, ut ab eorum acceptione maluam, aut oua ſorbilia, aut piſces in petroſis aquis degentes adſumant, & ex uolucribus non graueolentes, & macras.

A reliquis autem carnibus abſtineant, & à leguminibus, ac cœpis, ſalſamentisque, & quæ eius generis ſunt, ab omni genere placentarum, & à fructibus dulcibus, & facilè aceſcentibus in ventre. His enim omnibus concoquendis ægrè ſufficit uenter. Ampliusque, inflantis naturæ ea ipſa exiſtunt.

Pharmacum concoctionem adiuuans ieiunis exhibendum, duabus ante cibum horis. Recipe ex malis cotoneis ſucci unc. 2. mellis optimi tantundem, aceti unc. 1. & ſemis.

His ſimul ad prunas ardentes moderatè decoctis, ac deſpumatis. Zingiberis drach. 3. piperis drach. 2. adiicito: & rurſus donec ad mellis craſsitudinem perueniant decoquito; contundere autē craſſo modo oportet ea, quæ ad huiuſmodi pharmacorum compoſitionem coniiciuntur, ea gratia, ut ita uenter melius indè ſubducatur, tenuiſsimè enim trita, & in puluerem redacta, ad emolliendum aluum inepta redduntur.

Cæterùm urinam non modicam cient, craſsiora uerò iuxta uentrem perſiſtunt, quum anguſta uenarum ora penetrare non poſsint.

Aliud Pharmacum quod Dyaſpoliticum appellatur, Rutæ uiridis pridiæ decerptæ, piperis, Cumini, ſin. drac. 1. nitri drac. 4. Cuminum ex aceto per triduum macerabis, poſtea ſiccatū in puluere rediges, omnia cum melle bono, & deſpumato miſcebis, & uaſe uitreo repones, datur ex eo coclear unum. Valet etiam Dyacalamintes.

Aliud Pharmacum pro iis qui non conuenienter concoquunt. Recipe trium. pi. ſin. par. æqua. cumini, zingiberis, aniſi, thimi, an. ſex. par.

Prędictorum quidem Pharmacorum caliditas circa primas uenas extinguitur: minimè per uniuerſum corpus ſe diffundēs, quemadmodum id quod ex calamintha cōſtat. Neque. n. uolumus ea, quæ cum cibo concoctionis gratia exhibemus, in uniuerſum corpus diffundi; Sed tantùm concoctionem ciborum in ventre adiuuare. Itemque humorum crudorum in pri-

mis, ac magnis venis contentorum.

Quarè non nimis in puluerem redigere oportet ea, quæ ad concoctionem ſolam adiuuandam apparantur. Multùm quoque acetum pituitoſis in ventre humoribus conuenit, quod hoc modo apparare oportet.

Melle optimo ad prunas decocto, ac deſpumato; dimidia eius menſura acetum affunditur, atque ita rurſus ad prunas decoquitur, quo ipſorum qualitates optimè permiſceantur; & nè apppareat guſtantibus aceti acor. Cæterùm uſus tempore aqua calida mixtum, uelut vinum exhibendum eſt. prout, ægro iucundius uiſum fuerit, quod enim naturæ accipientis familiariſsimum eſt, id iucundiſsimum exiſtit, & ob id etiam utilè, & accommodatum, nocentiſsimum autèm contra eſt, quod minimè iucundum.

Linimentum præſtantiſsimum, pro ventriculo corroborando, ſucci citoniorum, calmenti, abſinthij, ſing. uncias duas, ponè in vaſe uitreo oleo cõmuni pleno, cui adiungè calaméti, abſinthii, recentium ſing. manipu unum, uini maluatici, uncias 4. obſtruè fialam, ut ex ea nihil expirare ualeat, ſupponatur ſoli per triginta dies continuos, poſt modum iſta coaddantur, nempè cinamomi optimi, maſtiches, ſpicæ nard. ſingu. drach. duas & ſemis, gariofilorum unciam mediam, & denuò uas Soli ſubiiciatur per decem alios dies, & uſui reſeruetur; poteris quinetiam adiicere ceram, & terebentinam, & ceratum conficere.

Quiſquis igitur præſentem uictus rationem obſeruauerit, haud ſolùm à renum, & à cæteris in aphoriſmo enarratis affectibus, uerumetiam à ſingulis ferè aliis morborum ſpeciebus, dubio procul liberabitur; ab omni nempè obſtructionis genere; conſequenterque à putreſcentibus febribus, à melancolia, à capitis dolore, à conuulſione, à reſolutione, ab inappetentia, à colico affectu, ab hydropiſia, & ab omnibns abſceſſibus; humoribusque aliis præter naturam. Quæ omnia à praua uictus inſtitutione, caloris innatis munus facultatis nè, interpellente contingunt. Nam, ut ſuſcepti operis initiò dicebamus. Facultas nos gubernans calor innatus exiſtit, illaque euulſa, uires corporis omnes abrumpi eſt neceſſe; attractricem nèpè,

pè,retentricem, aſsimilatricem, ac itidem expultricem. Illæ ſiquidem (calore innato intercedente) alimentum attrahunt, retinent, permutatione aſsimilant: & recrementa expellunt, quibus uiribus rectè ſeruatis, roboris, ualetudinisq. habemus ſatis. Igitur, quòd uitam nobis præſtat, calor innatus exiſtit, qui ab igne inferiore minimè differt, ſeu in paruis diſsimilis. Nam, vt ille ſubiecta materia ſeruatur, hic alimento: ille lignorum multitudine, humiditateque proprium dimittit incẽdium, iſtę pituitoſorum copia, imminutionem patitur, ignis lapides ſuperare nequit, calor innatus dura, atque uiſcida alimenta haud concoquere valet.

Pabulo tandem ſuo deperdito, prorſus euaneſcit, ſicque homo, è uita excedit, Procurandum igitur; atque animaduertendum, ut alimenti quantitas, æquè atque qualitas, nullo negocio à calore innato uincantur. Sed tempus iam eſt, ut ad propoſitum reuertamur; ad prænominatorum ſenilium affectuum curationem: Initium à renum lapidis cura ſumentes, tanquam ab affectu magis urgente; nanque ubi perſeuerauerit, ac magnoperè increuerit, ob dolores, ac vigilias, ſanguis multotiens corrumpitur, & æruginoſus uomitus ſuperuenit: Quinimò magnum imminet diſcrimen, nè vires à vigiliis, & conſtanti dolore deiiciantur; in declinante præſertim ætate, in qua frequentius quàm iunioribus talis affectus contingit, propter caloris acrimoniam, quæ craſſos ſuccos cogit, atque inſpiſſat, in pueris uerò fundit, atque diſſoluit.

In rhenibus itaque conſtant lapides, aut parui, aut maiores; & aliquandò quidem pauciores, aliquandò plures magnitudine, & forma, colore, & aſperitate, & multitudine inter ſe differentes. Ex eorum autèm numero rotundi, & leues facilè excernuntur. Pro curatione igitur, aer eligatur purus, ac temperatus, ut ſuperius dictum à nobis fuit.

Somnus, quoad fieri poteſt, conciliandus parum conſueto longior, quies uitanda, eſt enim deſidia ualdè noxia, deambulationes, & exercitia mediocria conueniunt, quæ pro ætatis, habitus, roboriſque ægrotantis ratione corpus exercere ualeant, nam magnę exercitationes non conueniunt, ueluti ęquitationes, & ſimilia. Sit aluus ſoluta aſsiduè, cum nanquè hæc probè excernit, urinæ profluent liberè, ab immodicis animi

affe-

affectibus caueant præterquam quod iraſcantur interdum. Moderatus autem cibus,& bonæ coctionis percipiatur. Cibi itaque eligantur, è quibus,neque ſatietates, neque cruditates contingant, cauendum præterea ab his qui duram ſubſtantiã habent, ac ægrè concoquuntur,ut ex ſuperioribus liquet, à caſeo præſertim: nam,qui frequentius eo ueſcuntur, lapides in renibus eis ſuboriuntur. Similiter etiam abſtinendum ab omnibus acribus,dulcibus, craſsis,tenacibus, & pinguibus.

Quapropter,cremorem ptiſanæ iure,pullorum, ſtarnarum, uel phaſianorum, præparatum, adhibere conuenit. Sic & eorum caro tribuatur. Vinum aũt ſit admodum ſuaue,& album, non ualdè uetus. Dulcia uerò,& nigra uina uitanda ſunt, tanquam calculoſis inæpta: & ubi renum hic affectus ſubitò inuadat, & qui laborat cibo nuper refectus ſit, cibiq́ue adhuc ſint incocti,aut ſemicocti, antè omnem aliam curationem, pro doloris mitigatione (niſi quicquam impedimento ſit) uomitum prouocare expedit: nam læuiores quidem à uomitibus euadunt,ægrotationes cum,cibis uacui ſunt.

Qua etiam ratione, & alimenti recrementa quæ inteſtinis colliguntur,confeſtim euacuari debent;per idoneos clyſteres, modo nihil obſtet, idq́ue omnibus calculoſis commune eſt; etiam ſi dolores,paulatim irruant, & non repente incidant; tali igitur pacto parentur.

Recipe furfuris in petia ligati manip. 2. caricarum pinguiũ num.x.fœnugræci unc.1.& ſemis. Ariſtologię unc.2.uel ex maluarum,altheæ,mercurialis,ſ.lini, ac betæ foliis dec octo, cui adijciendum olei, ſ.lini camomellini, & anetini, an. unc.2.ſalis parum,& ſi ex his aluus non ſufficienter excreuerit,unc.ſemis hyerę pigræ adiicias unc.1.butyri recentis,aut adipis anſerini.

Cęterùm ubi uenter ſufficienter excreuerit, quædam infundere oportet,quæ corpuſculorum circa lapidem ſitorum inflãmationes lænire, ac luxare poſſunt, id ipſum oleum anetinnm facere poterit,adipè gallinaceo recenti,in eo eliquato,ſeu anſerino,aut etiam butyro,quinetiam fœnugræcum,& altheæ radicem oleo decoctum infundemus, Venæ autem ſectio, cùm uirium robur exigat, haud inſtituenda, (mea quidem ſententia)ſenibus eſt,in affectibus pręſertim rhenalibus, & ſi aliquis uenæ poplitis ſectionem permitteret,quòd à ratione meden-

di

di haud diſtaret. ubi magna uaſorum repletio adeſſet. nam ſi uaſa ſanguine repleta ſint, & purgans medicamentũ dederis, non poterit propter plenitudinem in corpus deferri, undè fit, ut ſubſtet, & nihil efficiat, aut ſi quidquam facit, malè faciat: pariter, ubi ſanguinis multitudo non affuerit, ſicut (maxima ex parte) euenire ſenibus ſolet, ſed uitioſi duntaxat humores redundarint, eiſdem purgatio apta eſt, citra uenæ ſectionem; pro ratione redundantis ſucci, & quoniam in ſenibus craſſiores redundant ſucci, utpotè bilis atra, uel pituita, prædictis dyacato. aut confectionem de dactilis, & pulueram hyeræ ſimplicis adijcere poterimus, hunc in modum.

Recipe Floris caſsiæ
Diacatollici
Diaſebeſten ſim. } an· drach. 2. & ſemis.
Spe.hieræ ſim. ſcrup. 2.

Formentur boli cùm pul. glicirizæ, aurenturque.

Demum toto corpore expurgato, his uti debemus fomẽtis, nempè decocto foliorum maluorum, foliorum, & radicum alteæ, florum camomillæ, fænugræci.ſem.lini, radicis graminis, in hydreleo, & cum ſpongiis, ſæpius ſuper affectum rhenem adhibeas, optimum eſt etiam balneum ex dulci aqua, aut ex hidreleo, dolore adhuc vehementius uexante, & renum regio inungatur infraſcripto vnguento.

Recipe olei camemellini, anetini, & amig. dul. an. unc. 1. adipis anſeris, vel gallinacei, & butyri recentis, an. unc. 3. ceræ quod ſatis ſit, interim adiicias oleum quod ex ſcorpionibus paratur, aut ex eodem cùm recenti butyro, & oleo amig. dulc. ac cęra, vnguentum fiat, taleque multis, reiterandum vicibus. Quouſque lapis molleſcat, quo etiam tempore ea quę urinam cient, ac lapidem frangunt exhibere tempeſtiuũ eſt, etenim tranſmoto lapide, & ex ſede agitato, dolores quieſcũt, à valdè tamen calidis, ac diureticis omnino abſtinendum eſt, præſertim, à longo eorum vſu, nam effectricem calculorũ cauſam adaugent, quarè extenuãtibus, ac incidentibus, citra magnum calorem utendum eſt, ſed quæ tepidam facultatem habeant,

beant, hæc etenim paulatim citra noxam lapidem comminuunt, ac eum duriorem reddunt. Hæc itaque medicamenta, quæ minimum caloris poſsident calloſas, ſeu tophaceas conſiſtentias, incidere ſunt idonea: ueluti ſunt radices regiorum aſparagorum, alteæ, & rubi, & bectonicè, & polium, ac acetum ſcillinum, ſeu oximel ſcilliticum, quod magis renibus conuenit, & vitrum combuſtum.

Semen, alteæ, ameos, amigdala amara, aniſum, apium montanum, aqua mellis, aqua cicerum, balſamus, ſumptus, atque linitus, Bdellium, bectonica, uerbena, millefolium, camomilla, cancer fluuiatilis, capillus ueneris, fœniculi radix, geniſtra, ceraſorum gummæ, graminis radix, & ſemen; lapis Iudaicus quãtitas ciceris, lapis ſpongiæ, rhenes ſicci leporis, cùm uino albo. Item, ſanguis, & pellis eius cum buſti in latere crudo: lumbrici terreni puluis cùm rob. maluæ maioris, ſemen melonum, milium ſolis, granorum citri oleum, oleum de cæraſis, oleum de alKeKegni, politricum, ſaxifragia, oua piſcis ſępiæ, ſcolopendria, caſsia fiſtula, zuccarum, ficus ſiccæ, paſſulæ, ſpelta, petroſellinum, cardi decoctum, urticis ſemen, & quæ eius generis ſunt, quorum ſingula partim decocta, partim tenuiſſimè trita præbeto bibenda.

Vbi uerò hæc non ſuffecerint ad ualentiora medicamenta tranſire oportet, interque ſunt cicadæ ſiccę ſine pennis, ac pedibus contuſæ, ac hircinus ſanguis inarefactus. Cæterùm haud culcitris indormiant ex anſerum plumis confectis. hæ ſiquidèm ualdè rhenes calefaciunt, omnibus enim confert calculoſis, ut à cęna ſæpè uomant, ſimiliter ante omnem cibum bibere aquam tepidam, uel à balneo; tanquam omnium præſtantiſsimum remedium ad calculos arcendos Paulus comendat, ſimiliter quoque oximel cum decocto adianti, apij, graminiſuè. Per interualla, ea quoque bibant, quæ ciere urinam poſſunt, inter quæ eſt acori, calami aromatici, dauci, hiperici, & roris marini decoctum, præſtat etiam (verùm non ſæpe) naturalium aquarum uſus, ſemel in hebdomada, merificè confert, aut bis in menſe præbere drach. 1. prædictæ pellis loporis, memoria tenẽtes, ubicunque lapis fuerit, ſiue in rhenibus, ſiue in ueſica, quod in initio cùm urinam prouocãtibus abſtergentibusque, haud inſtituendum, neque cùm lapidem frangentibus,

-bus ſed cum topicis antedictis emollientibus procedendum; tàm cùm fomentis, quàm etiam illinitionibus; deindè balneũ aquæ dulcis ingrediantur.

Præſtantiſsimum eſt etiam hoc artificioſum balneum, nempè, excipiantur florum apii, petroſelini, ſeminis urticæ, pulegii, millefolii, origani, mentaſtri, iuniperi, lauri, perietariæ, ſcabioſę, ſ lini, fęnugræci, an. lib. 1. & ſemis, hæc omnia in duabus part. aquæ & una uini bulliant, & in tina proiiciantur, quã ingrediatur patiens, competenterque permaneat, demùm cũ ſupraſcriptis oleis rhenes ungantur, quinetiam ſanguinis hirci quatuor annorum nutriti per xxx. dies ex foliis hederæ, uel ſaxifragiæ, in diebus canicularibus interfecti, exiccati, & in puluerem redacti. Puluis probatiſsimus. Recipe pul. ſ ſaxifragiæ, ſ. cerefolii, cicadarum aridarum, ſanguinis hircini ſupradicti, ſing. onc. ſemis, gariofilorum drach. ʒ. exhibeatur de dicto puluere cum uino decoctionis ſem apii, petroſellini, granorum ſolis, & ſaxifragiæ, & poſt balneum ſumant, uel iſtis utantur catapotiis experientia comprobatis, videlicet;

Recipe ſaxifragiæ, piperis, cardi, ſquinanti, nardi, ganorum ſolis, an. drach. v. acori, aſſari, ſ. bectonicæ, dauci, petroſellini, maſticis, draganti, an. drach. 2. pul. cicadarum aridarum, pedũ, & crurum galli aridorum, an. drach. ʒ. ſanguinis hirci ſupradicti unc. 1. conficiantur pillulæ, necnon, ſolus puluis pedum, & crurum galli exhibitus cum dicto ſat eſt, prout enarratum nobis fuit à quodam præſtantiſsimo uiro, qui aſſeruit illum ſe optimum reperiſſe.

Conuenientiſsimæ pari ratione ſunt emulſiones ſeminum comunium, & amig. cōmu. amar. & ceraſorum cum eorũdem oleo. Aqua etiam iſta mirabilis exiſtit. Recipe rad. aſparag. arundin. ſaxifrag. uirgæ aureæ miraſolis, omnium cum ſuis radici. an. lib. 2. aceti ſcillitici lib. 4. ſucci limonum lib. 2. vitri aduſti, polii, montani, an. lib. 1. ponantur omnia parùm contrita in uaſe diſtillationis, & quod diſtillatum fuerit collige: indè exhibe drac. 2. uino decoct. eius. Hoc medicamentum nunquam non proficiet.

Alia præſtantiſsima, ac mirabilia auxilia. Recipe grillos, qui duos tantùm pedes habent, ac in agro inter ſtipulam, Ae-

ſtatis tempore reperiuntur; abſcinde caput eorum, cùm ſit uenenoſum, proiiceque illud; Reliquum uerò exicca in furno, à quo panis fuerit extractus, & fiat ſubtiliſsimus puluis, & coclear unum bulliat in uino, quouſque media eius pars abſumatur, colo traſnfundito, & exhibeatur, probatum à nobis quippe eſt.

Aliud incomparabile auxilium. Recipe, ſeminis cucumeris, camedreos Alexandrini, ſ. mirtillorum, ſingu. drach. 6. corti. caſsiæ nig. cinamomi, ſpicæ, blac. bis. ſing. drac. 4. omnia in pul. redacta bulliant in oleo deſpumato, & ad lupini quantitatem exhibeatur, ſed caue nè pulueriżando ferrum ei adhæreat.

Alia præſtantiora remedia. Recipe, ſangui. uulpis, & pudenda in lapide ueſicæ, ac in dorſo in renum calculo, perunge.

Aliud auxilium maximè efficax. Recipe fructus palmul. gra. 3. comburantur, & in pul. redacta cùm uino optimo exhibeantur.

Articulorum uerò dolores ſenibus fiunt, fluentibus aliquandò ad hæc loca ſuperfluitatibus, aliquandò uerò propter inſtrumentorum, quæ natura propter eorum motionem fabricauit, frigiditatem; ut in comento prænarrati Aphoriſmi Galenus oſtendit.

Vitanda igitur omnia, quę tùm algorem, tùm humorum defluxum excitare poſſunt. Sunt autem hæc, aut extrinſecus cauſæ occurrentes, aut internæ: externæ quidem, ut nimium ocium, ſeu deſidioſa uita, multorum alimentorum eſus, ſeu crapulæ, potus multorum, ac fortium uinorum;

Pręcipuè cũ aliquis, ea ieiunus potauerit, & in ſumma cruditates, ac Veneris vſus immoderatus præſertim, omniaq. alia, quæ caloris innati diminutionem, ſeu imbecillitatem, conſtituunt: ut improbus labor, uehemens ambulatio, creber æquitatus, inſueta frigida potio: Frigidorum, uel multorum, ac noxiorum ciborum eſus, mærores, curæ, uigiliæ, & reliquæ animi affectiones.

Quinetiam, familiarum excretionum ſuppreſsio, ac conſuetorum exercitiorum intermiſsio. Ex internis uerò cauſis, tantummodo illam ſumemus, quæ maxima ex parte ſenilem podagram efficere ſolet, nempè pituitoſi humoris defluxio, & ar

ticuli

ticuli frigida intemperies, in qua quidem, nullus apparet tumor: ſi ſine humorum defluxu extiterit, quamquam iſtam ueram podagram, ſeu articul. dolorem nominari multi neglexerint; cùm fluxione uerò pituitæ color exalbidus, & aquę ſubter cutem ſimilis apparebit, ac digitorum oppreſsionem cauus fiet tumor, ſublaxus exiſtens, & moderatus.

Dolores autem aliquando quidèm fortes, aliquandò mediocres, & exacerbationes quotidiè paulatim irruunt, & augẽtur, & per plures horas durant. Et breuem intercapedinem habent, imò neque unquam integrè remittunt: In hyberno tempore magis moleſtant. Vitanda igitur refrigerantia, humectantia, & illa quæ inſpiſſantis ſunt facultatis, & balnea à cibo, at ſi ſalſa fuerit pituita, color, & humor affecti membri, Eodem modo ſe habent: pruritus autem maximus, & mordacitas locos infeſtabit, hæc artritidis ſpecies difficilis curatu non admodum erit, ubi tophi, ſeu calli appellati producti non fuerint: tunc enim ſperandum non eſt ad priſtinam conſtitutionem exactè articulum redire poſſe.

Quoniam uerò præcipuè cauſæ podagræ, ſeu articularis morbi in ſenibus (ut dictum à nobis eſt) & articulorum imbecillitas à frigiditate producta, & redundantium humorum copia, Proptera duplex etiam ſanationis ſcopus nobis pręfigitur, euacuatio nempè redundantis humoris, (pituitoſi inquã) & corroboratio, per contrariam in gradu qualitatem, debilitatarum partium.

Aer igitur calidus, & ſiccus eligatur; aut ſaltèm temperatus, eligatur ſomnus moderatus: nam & moderatæ etiam uigiliæ conferunt, citra fluxionis initia quies, poſtea exercitium ualdè conducit, alui excrementa quotidie natura, uel arte excernantur: adhibitis nedum leuibus, ſed efficacioribus quoq; cliſteribus, inedia quoque utendum eſt ad plures dies, nam pituitoſa natura, eam benè tolerare poteſt, cibi igitur tribuantur, qui non admodum nutriant, extenuent, ac aliquo pacto ſiccẽt, ueluti eſt, orizę ſuccus, paſſerculi mõtani, nuces iuglãdes piſtacchiæ, uuæ paſſæ, & cappares ex aceto mulſæ. poterunt & uti paruis piſcib. in petroſis aqs coalitis, aſsis, aut elixis, adiectis quibuſdã herbis extenuantibus, ut fœniculo, hiſſopo, ſatu-

reia, ſampſucco, pulegio, & ſim. ab alijs carnibus abſtinendū, & à leguminibus, fugacibus fructibus, reliquiſque refrigerantibus, à copioſiore uino præſertim nigro, ſed interualli tempore, quàm minimum uinum tenuè, fuluum, & uetus præbeatur, inuicem etiam uino, aqua mulſa cum cinamomo, & aniſo uti poterunt. Vena ſenibus articuloſis ullo pacto ſecanda, nè imbecilliores fiant, niſi magna ſanguinis permixtio appareat, & hoc tantummodo reuulſionis gratia, permittendum in morbi initio.

Euacuandus igitur, & per ventrem, & per vomitum, pituitoſus humor, familiarior tamen, pituitæ via, & minus periculoſa, per interſtina exiſtit, paulatim tamen ducēda, & per uices, nam, neque craſsiora recrementa uninerſa, & uice unà extrahi poſſunt; uerùm ante purgantium medicamentorū exhibitionem, ea tribuenda ſunt, quæ uim habeant extenuandi, ac incidendi, namque ſic præparati pituitoſi ſucci, ad purgationem magis idonei redduntur.

Præparantur autē melle roſaceo, ſirupo de ſticade, eximellite ſimplici, aut ſcillino, adiecto ſirupo ex ſuc. boraginis, aut de infuſione roſarum, quibus iam præparatis, purgans medicamentum præbeatur tale.

Recipe mellis roſati ex pluribus infuſionibus unc. ʒ. electindi maio. drach. ʒ. diſſoluatur cùm decocto cor. cùm additione paſſularum, ſticados, & in aurora ſumatur, uel catapotia de agarico, uel ſagapeno, hæc quidem præſtantiſsima ſunt in pituitę euacuatione. nec ſemel duntaxat, ſed bis, & ſępius (ubi uſus urgat) repetenda.

Poſt purgationem antidota etiam nonnulla exhibere conuenit, præſertim ſenibus, qui natura pituitoſi ſunt, ueluti theriacam, mithridatum, ac diacorallium, partibus uerò affectis, medicamina ſunt imponenda, quæ uim habeant leniendi, diſcutiendi, atque adſtringendi, pręſertim circa initia, nam deinceps omiſsis adſtringentibus, diſcutientibus magis, ac exicantibus utendum.

Imponantur itaque, terebinthi folia uiridia, & tenera, cùm adipē ſuillo recenti, & roſaceo, modica cera adiecta, apta etiā ſunt cupreſsi folia, necnon & cyperi radices, braſsicæ etiam conferunt folia, ſi conciſa obducantur, ſimiliter apij, & coni-

æ, altheæ folia cocta, trita, tùm per ſe, tùm cùm polline, ſeu hordeacea farina imponantur.

Alia remedia non ſpernenda in artri. dolo. oleũ ſinapis infrigi. ſcilicet, necnon decoctũ carnis lupi, in aqua, aut oleo, vſq; ad carnis, liquefactionem. Puluis quo Patruus meus celeberimus Phyſic. bonæ memoriæ optimo ſucceſſu utebatur.

Recipe turbit albi & gummoſi drach. 1. zingiberis, drach. 2. ſaccari drach. 1. & ſemis, exhibe cùm aqua ſaluiæ, & ebuli per quinque horas à cœna, & in nocte æger ſudabit, & dolor ceſſabit.

Quinetiam thimum, origanum, ſatureiam, & calaminthami in aceto acerrimo decoquito: & ubi herbæ fuerint probè decoctæ, tunc eodem aceto adhuc callido, affectas partes nõ modo ſemel, aut iterum, ſed ſæpius & frequenter ſuperinfundito, ſeu foueto.

Vbi verò dolor moderatior euaſerit, eis utendũ eſt medicamentis, quæ non ſolùm ſummam cutem infeſtantia, ſed ét in alto fixa calefacere, & diſcutere queant, nempè. R. ſucci radicis ebulorum unc. 3. Reſinæ pineæ, & therebinthinæ, an. unc 4. Olei uulpini, & camemillini, an. unc. 2. cremoris, ſem. altheę, ſeminis lini, & fœnugræci, cuiuslibet unc. 2. & ſemis; opoponacis, ſagapeni, & amoniaci diſſoluti in aceto, an. unc. ſemis croci drach. 1. cum cęra quantum ſatis ſit, & adipis ſuilli, unc. 1. fiat cęratum, hoc etiam tempore balnea diſcutiendi, & exicandi ui prædita conferunt. quidam aqua marina lixiuio, uel uino adſtringenti affectos lauant, poſt inflammationum remiſſionem utuntur.

Et quoniam non ſolùm in artritide, ſeu podagra, verùm etiã in enphritide, crurum euenire ſolet ſtupor, qui ſenſuum, & motus difficultatem inducit, nam quibus membrum aliquod ſtupidum fuerit, (dicebat Gal.) ij quicquid tetigerint obſcuro & hebeti ſenſu percipiunt, neque moueri poſſunt, ſi uerò motu cogantur, dolent.

Prouidendum igitur, nè ſtupor in reſolutionem uertatur: in habentibus etenim ſymbolum facilior tranſitus eſt: ſub eodem quippe genere, tùm ſtupor, tùm reſolutio continentur, differunt tamen magnitudine, quapropter, neruoſæ partes nõ difficulter in reſolutione ſentiunt, & mouentur, uelut in ſtupo-

re,

re,ſed neque mouentur, neque ſentiunt, & propterea utraque facultas in ea ablata eſt, facultate enim animali omninò partes priuatæ ſunt cùm reſoluuntur. Stupor igitur,ut ad rem redeamus,refrigeratio inſignis eſt,idcircò corporibus ita diſpoſitis,& ſenſus & motus difficultatem inducit: quemadmodum completa refrigeratio, & ſenſum, & motum omninò tollit, ut planè uidere eſt in his qui in hyeme per frigora proficiſcuntur, atque in refrigerantibus quoquè medicamentis: nam, ſi extrinſecus immodicè adhibeātur,particula ipſa ſtupida euadit, quæ deindè ſenſum quoque omninò amittit, ſi uehementiſsimè refrigeretur;idque non ſolùm à medicamento,ſed etiā à circunfuſo nobis aere. Ergo,ut perfecta refrigeratio,& ſenſum penitus aufert,& motum,ſic moderatior,& ſenſus, & motus difficultatem, (ut diximus) inducit: nominaturque huiuſmodi refrigeratio ſtupor.

Conſtat autem,quòd conſtrictas vehementer particulas, atque eos quoque qui torpedinem animal,dum adhuc uiuit,tetigerit,ſtupor infeſtare ſolet. Non mirum igitur, ſi crura eorum qui nephritidem,vel podagram torpeant, obdormitatione afficiantur, in illis enim non niſi propter conſenſum uaſorum,dorſo incumbentium,cauæ ſcilicet uenæ,ac magnæ arteriæ: quibus mediis crura renibus conſentiunt,quibus à materia craſſa,vel lapide obſtructis,calor,ſeu ſpiritus,ad neruos inferiores,qui motum,atque ſenſum cruribus præſtant,ſufficienter tranſire nequit: compreſsis nempè neruis in rhenalibus partibus exiſtentibus,qua de rè crura frigida,ſeu diminuto calore prædita remanent. Hinc euenit,vt obdormitationem patiantur,ſeu (ut diximus) ſtuporem, qui quidem haud difficultate aliqua auferetur, liberatis ab obſtructione renibus.

Competunt tamen topica aliqua medicamenta, ad hoc, ut praua crurum conſtitutio per longam temporis intercapedinem firmata,prorſus abſcindi ualeat,nam,etſi affectus per cōſenſum fuerit,& facultas iam prohibita,ut puta ſpiritus ad mēbrum denuò ualenter deſcendat,pars tamen longo affecta tēpore, ſufficientis ſpiritus priuatione, locali adminiculo eget, ad hoc, vt ad priſtinam rectam redeat diſpoſitionem, ueluti ſi domus per multos dies radiis priuata eſſet ſolaribus,nempè occluſis feneſtris, deindè patefactis, ſol illam inſpiceret, niſi

ignis

ignis intus accēderet,Domus nouo ſolis aditu,excalefieri(niſi tardè) poſſet ; ſic uidetur corporis parti euenire, quæ alterius membri facultate illi eam mandantis,diu priuata, ac demùm reſtituta fuerit, haud ſine topicis remediis, ad bonam tēperiē reuerti ualet,crura igitur,propter materiam ſabuloſam,atque uiſcidam in rhenibus exiſtentem torpentia,curato nephritide affectu, ad torporis curationem deueniendum eſt, localibus nempè remediis, quibus in reſolutione uti ſolemus ; ex debilioribus tamen. Qua de rè conducit aqua calida marina, uel thermarum balneis ; crura ſæpe fouere, uel decocto flo. ſticades,calamenti, hyſſopi, herbæque quam paraliſim uocant.

Demùm vnctiones eis approximare ex oleo uulpino,de nuce muſcata, nardino, aut è terrenis uermibus parato, conducent quoque, & cucurbitulæ ſine ferro admotæ : nam ut ad ea ſanguis, atque calor, & ſpiritus trahantur, in cauſa erunt ; ultimò operienda ex pelle uulpis ſunt.

Podagrici uerò, qui ob medicamentorum uim,calidam nēpè,aut frigidam, pedum torpore corripiuntur, medicamenti qualitas prius inueſtiganda, ac demùm ſecundùm eius exceſſum affectus corrigendus, quamplures enim, ut morem ægrotantibus gerant, abſque methodo curantes, haud ſine perſpecto,doloris tantummodo ſedationi imprudenter incumbunt, atque, aut priſtinum affectum augent, aut alium grauiorem procreant.

Igitur,vt ad propoſitum redeamus,qui in ſedanda podagra, ita frigidis vſi fuerint medicamentis, ut partem læſam ſtupidam(ut ita dixerim)effecerint, enarrara admouenda ſunt excalefacientia. At ſi admodum calida, deſiccantiaque in ſedando arthritide dolore fuere, ut partes craſſæ in thophi ſimilitudinem ſint redactæ, tenuiores uerò, & ſpiritus ipſi in halitum fuerint digeſti, pro earum curatione,ea conuenientiora ſunt, quę emolliendi naturam ſortiūtur, uelut ſunt adeps ſuillus, caprillus, uitulinus, anſerinus, & medulla præſertim ceruina, althęa bis cocta, & reliqua huiuſmodi.

Ad

R. ſuccũ cucumeris aſinini,& radices eorum,quas ablue,demũm decoquantur in eorum ſucco, quouſque nigreſcant,aufer ab igne,poſtmodum pone mirta ceræ nouæ & ſubagita uſque ad incraſſationem. Itẽ R. caſei uetuſtiſsimi,qui bulliat cũ brodio lardi porcini,uſque ad liquefactionem,& vnge,mirabiliter ualet ad tophos.

Quinetiam haud difficulter, uniuerſus ſenis corporis habitus in aquoſitatem diffunditur, in quo affectu uniuerſa corporis miſcella laxior fit, ac emolleſcit,cùm uirore albicans, redditur & inuallidus, ita ut crura inter eundum uacillent; In principio quidẽ concoctiones impediuntur. Manente etiam num appetitu, poſtea uerò & faſtidium accedit, & reſpiratio ipſis fit rara, ac debilis. Aluus etiam inæqualia recrementa excernit, quæ omnia ſimptomata intemperantiam frigidam, & humidam totius corporis inſequuntur, quoniam ab ea, & propter eam intemperantiam,iam dictæ actiones oblesę ſunt, & totius corporis calor uitiatus exiſtit. Calidum enim tùm ad aliàs actiones, tùm uerò præcipuè,ad ſuccorum generationem,aliis pręcedit qualitatibus,quo diminuto,tùm frigiditas, tùm humiditas (adſcititia ſaltem)præualet in ſenibus præſertim,cùm frigidiores(vt dicimus)natura ſint. nam ſenum temperamentum frigidum, & ſiccum, acquiſititium verò humidum,vt aſſerit Gal. lib.de ſalub.diet. & 3. de morbis uulgarib. & aphor. 31.tertiæ ſect. Propterea in his ſanguificationis defectus facilius euenit, qui ubi immodicè amplius augeatur, generandi hydropis cauſa erit.

Iecur igitur ipſum, ſiue primariò, ſiue per conſenſum afficiatur, ac imbecillum redditum; propter eius intemperaturam ob quam ſanguinem optimum generare nequit,ac pro nutrimentò uniuerſo corpori, eum ſuppeditare, ſed ipſum frigidiorem,ſeroſiòrem, ac magis pituitoſum, generat,ac diſtribuit, & proprerea hæc affectio, ut plurimum ex longo morbo congregatur. Capiuntur hac affectione, ut diximus maximè ſenes,qui etiam difficillimè liberantur.

Quod uerò ad eorum curationem attinet, aer eligendus eſt ad calidum, & ſiccum uergens, ſomnus moderatus ſit, ac no-

ćturnus,

ſturnus, longus, atque diurnus, omninò uitetur: moderatis deambulationibus, geſtationibus, uociferationibus, & frictionibus ſiccis per linteola ex lino crudo utendum, poſt quæ, & exercitamenta moderata conducunt. aluus hũ necta natura ſit, uel arte, cum clyſteribus, ac glandibus: cibi ei offerantur ſimplices, & qui facilè concoqui poſsint, optimumque ſanguinem gignere.

Vitanda ſunt omnia bellaria, item nidoroſa, grauęolentia, humoris craſsi, uiſcoſa, & quæ, difficulter concoquuntur. Vinum autem eis conuenit album, tenue, & odorum, Aquæ potus omninò uitandus: & in uniuerſum uictus ſit tenuis, & ſiccus, ſenectute non obſtante. Purgatio etiam iis admodum confert cùm rhabarb. cùm medicamento ex hyera, agarico, & mirabolanis, poſtquam, abſinthii potio maximi erit iuuaminis. Quinetiam, ſuccus plantagi. necnon ebuli; bulliant uſque ad duarum partium conſumptionem: cui adde aliqua ſtomachica, ut puta cinamo. ſpicæ, maſticis, ad libitum.

Aliud, Recipe ſucci ebuli, ſucci yreos, vini optimi, ana ciatum vnum, ſpicæ, maſticis, an. ſcrup. 1. bulliant vſque ad deſpumationem, & cùm parum ſaccari exhibe unc. ſemis in diluculo. Externè uerò iſtis æger liniendus eſt. Recipe ſucci apii, radi. ebuli, calamenti, rutæ, olei roſati, mellis, ſing. unc. 2. farinæ optimę ſcil. frumenti, quantum aliquis tribus ſuis digitis apprehendere poſſet, feruefiant, & uſui reſeruetur.

Vertigines autem non paucis ſenibus eueniunt, propter ſpiritum qui in partibus cerebri inordinato cietur motu, ſæpius uerò etiam in ventriculo uitioſis ſuperfluitatibus aceruatis, ad cerebrum fertur exhalatio uaporoſa, proptereа imaginantur caput circumferri, quibuſdam etiam accidit tenebroſa uiſio, ac de repente ſimul perit ſenſus, & uiſus, ideò ipſi ægroti, putant tenebris circumfundi, ambò tamen ſymptomata in generationis modo conuenire uidentur, cum ob inordinatam ſpiritus flatuoſi motionem in partibus cerebri generentur: qui uel in capite localem habet generationem, uel ſurſum ex inferis fertur, at ſecundum magis, uel minus, inter ſe diſcrepare uidentur: qua de rè uertigo ſymptoma erit in genere noxæ functionum, tùm imaginatiuæ deprauatæ, tùm uiſionis diminutæ, ſeu deprauatæ. Ac in tenebricoſa uertigine, non modo

imaginatiua aberrat, ſed uiſiuæ functio abolita eſt, & interim motrix facultas. Si ex primaria cerebri affectione depẽdeant, uehemens capitis dolor grauitasq́. præcedet, auriũ ſonitus, et olfactus læſio, & nonnullis etiam guſtus, atque alterius cuiuſq; ſenſus, qui à capite initium ſumit. Si uerò ori uentriculi cerebrum conſentiat, ſtomachi morſum accerſit, ac nauſeam ægri præſentiũt. Ac quoquomodo fiat, perpetuò ad inæqualem turbulentum, & inordinatum motum flatuoſi ſpiritus, in cerebro iam dictæ affectiones conſequuntur, ex quo animalis etiã ſpiritus in cerebro conſiſtens euertitur, ut propterea non ualeat ordinatè (ut decet) ad propria loca diſtribui. Hæc ſimptomata inæqualem inſequuntur cerebri intemperiem, nempe frigidam.

Verùm nõ ſemper flatuoſus is ſpiritus in capite localem (ut diximus) generationem hẽt ex inæquali cerebri intemperie; ſed interdum ſurſum ex infernis partibus fertur.

Generatur autem flatuoſus hic ſpiritus, non ſummè languẽte natiua caliditate, nam ſi perfectè langueret, diſſoluere non inciperet; conatur etenim calor ipſe natiuus corporis humores tùm diſſoluere, tùm effundere: uerùm ipſos tenuare, & per inuiſibilia foramina excernere nõn ualet, unde ſpiritus flatuoſus ortum habet, & in capite contentus, non ab re inæqualiter, & inordinatè mouetur.

Hic autem flatuoſus ſpiritus ſi in cerebro generationem habet, ex frigido & glutinoſo humore ortum ducit, & propterea ex quauis leui occaſione calfacto capite, uertigo excitatur, At ſi ori uentriculi, aut reliquis partibus cerebrum conſentiat, exuitioſis calidis & acribus ſuccis in ipſis redundantibus eiuſdem qualitatis uapores ad caput delati, potiſsimũ iam dictas affectiones efficiunt.

Senes igitur, propter natiui caloris eorum imbecillitatem, facilè prædictis affectionibus capiuntur; nec paruifacienda ſunt, nam uertigo proxima eſt morbo comitiali, & apoplexiæ: ſæpe futuram denunciat epilepſiam; ac ueteres paruam epilepſiam uocarunt.

Aer igitur, eligendus erit temperatus, purus, & lucidus; fugiant aerem nubiloſum, craſſum, & nocturnum, caueant à uentis (maximè) Auſtralibus, uitent radios ſolis, necnon Lunæ:

uelut etiam aſpectum rerum uelociter motarum, & currentis fluminis; aut incircum, ut rotæ, & trochi; ac profundarum rerum aſpectum, ſomnus ſit mediocris, non immediatè poſt cibum, ſed ſaltem per duas horas poſt, uiteturque diuturnus; ac in loco multùm calido factus, neque caput ipſum multùm calidum teneat. Ventris excrementum nitendum, ut ſingulis diebus excernantur, clyſteribus, uel glandibus, eá excitanda erunt, ſi natura auara fuerit. Exercitio utendum erit temperato, in quo quantum poſsibile erit caput quieſcat. Cuius uice frictionibus crebrò utendum; manè præſertim, priuſquam ſurgant, quæ à ſupernis partibus cœpte, ad infima deſinant. Ab animi affectibus, ſeu perturbationibus cauendum, præſertim ira, timore, & mæſtitia, pariter & clamores, contentiones, & cantus fugiendi ſunt, Venus quoque omninò uitanda eſt, cibi eligendi boni ſucci, concoctu faciles: flatus exortes, ſtomacho, ac uentri commodi, ſintque modici, propterea & ſatietas non minus & fames, uitanda erit.

Vinum bibendum uetus, modicum, ſit album & tenuiſsimum, & non ualde uetus, nè caput percutiat, qua ratione, euaporantes cibi, quales ſunt cœpe, allium, porrum, atque id genus alij uitentur, & à cibo ea exhibeantur, quæ uim habeant adſtringendi, nè vapores ſurſum ad caput ferantur, & præſertim ſi uitio ſtomachi fiant prædictæ affectiones.

In ipſa vérò acceſsione, excitare ægros conuenit, tùm odoratis medicamentis, tùm frictionibus, & id genus alijs; poſſent uerò glandes confici ex hiera, agarico, ſale gemmę, & deſpumato melle, ſic & aluus ſubducenda; primùm acri clyſtere. Poſtea purgante medicamento redundanti humori ſemper adaptando; præcedente tamen eius præparatione, atque concoctione: Oximellite videlicet compoſito, ſi craſſus fuerit, qui redundarit ſuccus, ut in ſenibus redundare ſolet; purgantibus deindè utendum, quæ eundem humorem euacuare ſolent, veluti ſunt catapotia de agarico, aurea, chochia; & ſimilia: mirabulanorum chebulorum decoctum, & ſir. ſeu mel roſaceum ex pluribus infuſionibus; Non abſonum erit apponere ſenam, epytimum, & mirabulana Inda. Poſt que, cucurbitulæ cum ſcarificatione ad occipitium affigendæ ſunt, mox apophlegmatiſmis, pituitam à capite per os detrahentibus utē

dum. Naribus infundatur aqua hordei cum corticibus, cum anagallidis ſucco, aut radicis betæ, uel ciclaminis, gargariſmis quoque vtens ex origani, & pulegij decocto, cum aceto mulſo, odor inſuper ſuſcipiatur per nares ex amaraci, ſampſuchi, ſcil. & hyſſopi, ac florum ſticados decocto: caſtoreo pauco addito.

At ſi ex humoribus (in uentriculo præſertim) eius ore contentis uaporoſis ſpiritus ad cerebrum delatus, eas progignat, uomitu curari poterunt, ex anethi, & raphani decocto, in quo acetoſus ſirup. aut oxim. permiſceatur, tepidumque potiſſimum à cibo aſſumetur; quod ſi non ſuffecerit, conducet etiam eos purgare ex hiera Gal. aut ex ſtomaticis pillulis, mirabulanorum citrinorum, aut chebularum decocto; & manna, ſeu ſyrup. ex plur. infuſionibus roſarum rub. pro ratione diuerſitatis ſucci redundantis.

Quoniam ab iiſdem cauſis prodeunt vertigines, à quibus morbus comitialis, & eaſdem met ſedes occupant, operæ precium cenſendum, aliqua etiam auxilia hic in comitialis morbi curatione admodum propria, palàm facere; quæ tanquam arcana ſeruari debent, & hæc quippe ſunt; craneum ex parte in qua quieſcit cerebrum, combuſtum, & in puluerē redactū, exhibeatur de eius pul. dra. ſemis, pro vnaquaque uice cum aqua peoniæ.

Aliud, ſtercus leonis, & coagulum leporis, combuſtum cùm vino exhibitum.

Aliud, peonia fœmina collecta in diminutione Lunæ, & collo ſuſpenſa.

Aliud, vermis piloſus qui in fimo reperitur, multis præditus pedibus, ligatus in pulſu à tali morbo læſi.

Aliud, lapis inuentus in ventriculo irundinis ſuſpenſus in collo, & puluis ſerpentis, vel pilus canis rabioſi, uel corallus.

Aliud, aqua, aut ſuccus primulæ ueris bibitus per triginta dies, alij addunt puluerem cordis lupi.

Aliud, gerat epilepticus peoniam fœminam recentem, & pilos nigerrimi canis, & marcheſitā, & calamitam, & in fronte teneat de pelle frontis aſini & odoret. hyſſopum, & rutam.

Aliud, exhibe poſtquam erigetur è terra ℥. i. cranei hominis mortui, per tres uices.

Aliud

Aliud, Recipe, ſemen cardi qui coagulat lac, unciam 1. floris peoniæ, unc. 1 cum ſemine ipſius, aquæ vitæ, unc. 2. ponantur in uaſe uitreo per tres dies, & exhibe unc. 1. quotidie in ieiunio, in tempore acceſsionis præſertim; ſi talē continuò in vſum habebit medicamen, proculdubiò liberabitur; numine fauēte.

Aliud, Recipe aquæ deſtillationis primulæ ueris, ciatum vnum grandioribus, cui adde pulueris cordis lupi exiccatis in furno, ſolę etiam aquæ proficiunt.

Aliud, fel vrſi bibitum.

Aliud, gerens fel lupi cū muſco, præcauebit ſe ab epilepſia.

Aliud, cerebrum muſtelæ bibitum cùm aceto.

Aliud, ſanguis teſtudinis.

Aliud, ſtercus leonis ſuſpēſum in collo maſculi, in maſculo, fœminæ in fœmina, quæ tali morbo laborat.

Aliud, Recipe ſaluiæ, bectonicæ, rutæ, confundantur, & bulliant in aqua, & exhibe cùm parum vini.

Aliud, anulus ungulæ dextri pedis aſini.

Aliud, cui par non ineſt. Recipe, pliris archoticon, dyamargariton, dyambrę ſing. unc. 1. ſem. peoniæ, oſsis cranei hominis ex parte faciei combuſti, an. tres octa. termentillæ octa. 1. & ſemis, ſem rutæ, antimonii, an. ſcrup. 1. pulverizentur, & miſceantur cum ſerapio de corticibus citri, de quo capiat drac. 2. mane, omnia iſta conferunt. At antea purgandus ægrotans eſt, cum hyera picra, tro. alandal, & eleboro albo, & caſtoreo, & dyagridio, & ſalgema, & ſquilla, & agarico, & ſticados.

Sæpiſsimè etiam, ſenes à deſtillationibus, quæ ſunt cum tuſſe capiuntur, quoniam partes ad caput attinentes in ipſis facillimè refrigerantur, & quia multæ in iis ipſis fiunt pituitoſæ ſuperfluitates; quum iam ſatis frigidam cerebri habeant temperaturam, à qua non raro, & crebros anhelitus, & humiditates oculorum, & narium liquefieri: propter cerebri nempè ſuperfluitates, quibus ſeni ad aluum defluentibus, & ipſa ſæpius, humectatur, promptiſsimè quidem in os, & nares, fluxiones impetum faciunt; necnon in fauces, ſeu laringem, cuius affectus raucitas à Latinis nominatur. Nam principiò uocem raucam facit, procedente uerò tempore, paruam, ſi uerò longius etiam procedit malum, totam adimit. In his affectionibus cerebrum primò oblæſum eſt, & qualis in uentre paſsio

ex mala concoctione fit, talis eſt in cerebro, prædictarum quę libet affectio, ex ipſiuſmet quoque cerebri operationibus oblęſis, ac ex eiuſdem excrementis quantitate, & qualitate mutatis, confirmari poteſt, in frigida enim diſpoſitione excrementorum quantitas maior eſt. Frigida etiam, ac minimè mordacia, ſenis excrementa apparent, in Aquilonia aeris conſtitutione præſertim, & in regione eadem temperatura prædita: Frigida igitur cerebri intemperies cogens amplius, & comprimēs quodammodo caput, uelut manus ſpongiam aqua imbutam, exprimit cerebrum ipſum, quo fit, ut ad loca capitis inferiora, eius excrementa deſidant, ad hæc etiam, quod ad ipſum cerebrum prouenit pro nutrimento, ſua frigiditate concoquere non poſsit, effectum ei uelut excrementum uerum, ad infernas partes illud conuertitur; cum nequaquam continere ualeat, nec minus (cùm ex infernis partibus in ipſum uapores aſcendant, nequaquam digeri, ac diſcuti ab eo ualeant, qui iterùm multiplicati, ac craſsiores redditi, ut ad ſubiectas partes, delegentur opus eſt, nullam ſiquidem in parte aliqua corporis, plenitudinem digerit Hyems. Quarè nec frigiditas confert, etenim frigida intemperies, dum nihil abſumit humoris, quodammodo incremento confert, qua ratione etiam fit (ut ex accidenti propter frigidam intemperiem) ſenis cerebrum repleatur, ac ut inſtrumentum à plenitudine infeſtetur, diſtentione, æqueatque grauedine, citra tamen calorem, ac mordacitatem oculorum, ſeu fauci rubedinem, facilius uerò caput frigidis humoribus repletur propter repletionem, & præſertim frigidorum alimentorum, ac potuum, aut frequentes cruditates aſſumptorum ciborum, qui in uentre incocti perſeuerantes, nequaquam infra excernuntur. Et ſi raucedines, & grauedines in ualdè ſenibus coctionem non admittant, abſque curatione, ſine recta ſaltèm uictus inſtitutione, derelinquendæ non ſunt.

Conſiderare itaque oportet, cuiuſque diſtillationis præcedentem cauſam, ac præhabitam dietam: atque ita remedia contraria afferre, in uniuerſum autem, pauco cibo, & quiete utendnm eſt. Vitato etiam frigore, & calore, & præſertim ſi repentina fiat mutatio, modo ad frigus, modo ad calorem, Abſtinendum eſt à ſole, Balneo, uino, & uenere. Eligat aer, ut

ut neque impensè calidus, aut frigidus ſit. uerùm in cauſa frigida (prout ſupponitur) parùm ad calidum inclinet. Caueant ventos, tùm Auſtrinos, tùm Aquilonios: vitetque ſomnum lõgiorem, & diurnum. Moderatus tamen in nocte confert. procurandumque erit, ut ſingulis diebus alui excrementa excernantur, ſi non natura, ſaltem arte. Abſtineant ægri ab immodicis animi affectibus, cibis utantur concoctu facilibus, & boni ſucci, cùm calefacientibus læniter permiſtis, ſorbitiones maximè proſunt, ut amili, ptiſanæ, ouorum ſorbilium. Quinetiam, panis cùm amigdalarum ſucco decoctus, aut cũ pini fructibus. Item, cauliculus braſsicæ, & ipſa braſsica cocta, butirum quoque iis utile exiſtit: & quibuſdam robuſtioribus porri quoque probè cocti, potiſsimum in raucedine. Caueant uaporoſos cibos, ut cępas, allia, ſinapé, ac reliquæ ciborum quantitas, maderata eſſe debet, minor tamen in cœna quàm in prandio ſit, & poſt cibum nec legant, neque ſcribant, pro potu deuitent uinum, loco cuius aqua, in qua parum radicis glicerizæ, ſeu cinamomi fuerit decoctum, aut aqua mulſa, aut aquoſum uinum, ipſius uerò potus quantitas ſit exigua, nam procurata ſitis multum confert. demùm capiti proſpiciendum eſt, ipſumque ſanandum, ueluti mali fontem; ac firmandum, modo liceat. Ex frigido igitur, in calidum permutandum. Caput itaque nardino, roſaceoque oleo, perungi debet. Irinum uero, non ſolum illinitur, ſed etiam naribus inſtillatur, uel camomellino, ſeu anetino utare. Frigido autèm redundãte humore, præſertim in capite; per ea quæ ſolùm purgãt medicamenta corpus, & caput, uacuabis, in quem uſum cõferunt acres clyſteres, prius tamen quàm purgãtia tribuas medicamenta; ex roſaceo melle, ſirup. de gliceriza, aut de hyſopo, iuiubino, ant ex ſucco boraginis præparari, ac concoqui redundans ſuccus debet, cum aqua betonicæ, aut ſampſucci, & demùm catapotiis ex hiera, & agarico confectis, euacuari. Idoneum quoque erit poſt uniuerſalem purgationem, medicamen quod pituitam per os educat, præbere, ac à capite cucurbiuulis, frictionibus, ſeu uinculis humores retrahere: ipſumque prædictis calidis irrigare oleis.

Item ſacculi capiti ipſi admouendi ſunt, qui taliter componantur. Recipe hyſſopi, ſanſucci, flor. camomillæ, melilo-

ti,

ti an drach. ſemis. florum ſticcad.ſpicæ ſingu.ſcrup. 1. maſtic. ligni aloes,maceris, cuiuſque drach.ſemis roſ.arid.drac.3. terantur ſingula,& in ſericum, ſeu tenuè linteum lineum immittantur,ſacculusque formetur, & coronali ſaturæ imponatur, quinet ã,eodē loco ſinapiſmus,aut igneũ cauterium, ubi diuturnior fuerit affectio, utiliter adhiberi poterit; ſuffimentum etiã admodum conuenit; quod hoc modo paretur, videlicet; Maceris,ligni aloe,ſpicnæ, maſtiches,corticũ, ſeu manæ thuris,ſingulorum exipe ſcrup. ſemis. hyſſopi,& ſancucci, ſcrup. 1. ladani drac unam,flor.ſticados,gariofilorum, drac.ſemis, roſ. rub.ſic. drach. 2. paretur puluuis, & utare, particulatim uerò, ubi ad nares fluxio decumbat, utendum eſt decocto ſanpſucci,hyſſopi,ſerpilli,bectonicæ,pulegii, excipiendus uapor erit; ex eiſdem quoque ca:utpurgia fiant, poſt purgationem. Si uerò in os defluat,ex hyſſopi,pulegii,ſampſuci.& aridarum ficuum decocto colluatur os.

Hoc autem ex induſtria fieri oportet,nè tuſsis excitetur: fit autem ſirupinus cubet. pillule etiam bechichæ conferunt, cũ miſtura illa,quàm ſauoniam appellant: Item eclegma ſanum, aut de pino.

Ceratum ſingulare pro ſenum deſtillatione. Recipe, ſtoracis calamitę,gariofilorum,ſpicæ, mirrhæ, ſing.drac.1. galbani, drach.3.thuris,maſticis,uernicis, ſing. drach.2. euphor.ſcrup. ſemis,fiat cęratum,& ponatur in parte capitis pulſatili.

Pro raucedine optimum remedium. Recipe, roriſmarini, hyſſopi,aniſorum,gariofillorum,glycirizę,enulæ,yreos,zedoariæ,ſing.drach.1.& ſemis,pulegii,drach.2.gummæ arab. drac. 3.ſaccari albi quod ſatis eſt,fiat confectio, de qua ſumat ter in die,ad caſtaneæ quantitatem.

Porrò tuſsis ex frigiditate inſtrumentorum reſpirationis ortæ ſigna ſunt,quod ſic affecti,nihil inter tuſsiendum expuũt, neque uiolenta tuſsis,nec coacta, ſed adeò exigua eſt, ut non ſolùm per ſpiritus detentionem, ſupprimi, & ne eneniat prohiberi,uerùm etiam (niſi magna admodum fuerit) ſanari poſſit: eo quod per ſpiritus inhibitionem frigefactæ particulæ caleſiant, præterea qui hac tuſsi laborant, per crebras inſpirationes magis irritantur, frigiditate uidelicet, exindè intenſiore facta, & aucta, quarè ſi hi leuiter inſpirant, ac aerem attrahant,

trahant, & in calida domo uerſantur parum, aut omnino, nihil tuſsiunt, facie denique ſunt pallida, ſiti nulla premuntur, calidis optimè, frigidis malè afficiuntur. Id uerò hinc manifeſtum fit, quando loquuntur, aut os aperiunt, tunc tuſsiunt, cùm verò non, minimè: quarè per præſidia, quæ eadem excalefacere poſſunt, curabitur. Ceruix itaque lanis callidis ueſtiatur, rarò inſpiretur. Quarè multùm conducit, ut ægrotantes in calida domo uerſentur, & leuiter admodum inſpirent, cibi etiã, & potus frigidi uitandi. Quæ uerò cum titillatione ab utraque parte palati contingũt tuſſes, palàm oſtendunt defluxum à capite ad aſperam arteriam deferri, itemque ad pulmonẽ, id quod ex difficili, quæ comitatur ſpiratione facilè deprehenditur. Quarè ſi craſſus, & uiſcidus humor tuſsis cauſa fuerit, per ea, quæ incidunt, & extenuant, illi medebimur, tùm exhibenda ſirupa de gliceriza, de hyſſopo, de calamẽ. & ſimilia: poſtea unicè confert agarici dilutum exhibere: quod in eum paratur modum.

℞ Accipe agarici electi. drach. 2. zingib. ſcrupu. 1. ſalis foſsilis gra. 3. trita macerentur per noctem in uini albi odorif. unc. 2. liquoriſque ſtillaticii abſinthii, & fœniculi, utriuſque, unc. 1. manè colentur, & exprimantur, atque adiiciantur antidoti Indi maioris, drach. 2. oximellis ſcillitici, unc. ſemis, formetur potio. Vacuato corpore, eclegmata deuoranda erunt, ut puta è pino ſano, & experto: diaireos, & ſimilia, præterea, extrinſecus iniungantur oleis calidis, liliaceo, irino, amigdalarum dulcium, adductis pinguedinibus. Ad tuſsim, non ſenum ſolùm, uerùm & puerorum experientia comprobaui farinæ, ſemin. lini terrefacti, mellis deſpumati, an. part. ęquales, fiat eclegma.

Citra febrem nonnulli ex ſenioribus crebro reſpirant, ut ſolent qui citatiore curſu fatigati ſunt, adeò quòd multotiens uniuerſum ſupra thoracem corpus, penitus rectum habere coguntur; metuentes nè ſuffocentur: ex quo manifeſtum fit coarctationem locorum præter naturam intrinſecus adeſſe. Fit itaque ſymptoma hoc in ſenibus (maxima ex parte) cum craſſorum, & tenacium humorum copia, pulmonis bronchijs, cartillaginibnsuè, fuerit infacta; & his diſtillationibus ortum habentium: quum & alioquin ipſa ſpirandi inſtrumenta, non rarò habeant ſui algoris principium, quando, & in ipſis multæ,

ac craſſæ ſuperfluitates generantur, potrò uictus ratio in uniuerſum calida, & ſicca ſit.

Vitandus igitur aer frigidus,& humidus; Carnibus utendũ perdicum,auicularum mõtanarum,gallinarum,& huiuſmodi. Fugiendi piſces,fructus,legumina,& alia quę craſſos, & lentos humores procerare ſolent. Vſus frequens ſit hyſſopi,oximellis,& fęniculi, Vini quidem potio ſaltem tenuis ſubſtantiæ conuenit.

Potus ſit multus,quibus bronchia,& cartillagines tenacibus & craſsis humoribus ſunt obſtructa, ſiquidem eos tumores repurgantia,& abſtergentia medicamenta, neceſſariò tuſſes cõmouent,uerùm non facilè per ſputum reiicitur, ob craſsitudinem, id quod repurgatum, & abſterſum eſt. Humectatione igitur multa,quo facilius efferatur indiget. Exercitio antè cibum utendum,ac nequaquam ſubito, quod complures hac ratione extincti ſint.

Frictiones thoracis proſunt, animi perturbationes, ira potiſsimum, & mœror fugiendæ: extenuandi humores ſunt, atque incidendi, cum medicamentis quæ hanc uim poſsident citra excalefactionem; ſiquidem ab immodico calore, ueluti etiam frigore, craſsi, & tenaces humores magis craſſeſcunt; coguntur, contrahunturque; ita ut ſubindè difficulter abſtergi,& auelli poſsint. Quarè eis maximè prodeſt oximel ſcilliticum,ipſaque ſcilla aſſa cum melle trita, & delinita, ſerapia item ex gliceriza,marrubio, & hyſſopo,cum decocto earundẽ herbarum.Demùm præmiſſa humorum ad euacuationem pręparatione, medicamenta fortiora, quæ craſſos, & tenaces humores euacuare frequenter propinanda, ueluti catapotia de agarico,& cochia uocata.

Item dyaturpetum cum rhabarbaro, dandum etiam agaricum dilutum. Aluus clyſteribus ualidioribus eluenda. Vomendum etiam per interualla,ex ſumpto raphano,& aliis, quę uomitum citant. Interea tamen, dùm frequentior ſit purgatio,exhibenda erunt medicamenta quę ſenſim,& paulatim,humores in thorace extenuare,ac diſcutere poſſunt,ueluti ariſtolochia rotunda,helenii, & iridis radices, urticis ſemen,hyſſopus, & ſimilia. Thoraci etiam olea, & unguenta calefacientia irinum nempè,anetinum,rutaceum,& huiuſmodi,cum adipibus

bus ad mouenda. Thorax tamen nunquã non antea fricandus linteo aſpero, quo reſeratis, ac deductis meatibus, uis medicamentorum ad profunda prontius penetrare ualeat. Cæterùm iis etiam medicamentis utendum, quæ exulcerare cutem, & ſaniem, ſeroſosque humores extrahere poſsint, in hunc uſum thorax, & pectus cum urticis confricari, & cędi poteſt.

Serapius iſtæ maximoperè ſenibus aſmaticis proderit. Recipe, calamenti, glycirizæ, hyſſopi, pimpinellæ, pulmonariæ, rorismari. faſeolor. an. ad libitum, bulliant in aqua quantum ſat erit, & fiat ſerapius cum melle, ſecũ. ar. cui adde agarici electi, drac. ʒ. exhibeatur mane.

Quinetiam, oculorum, & narium humiditates iiſdem præparantibus, æqueatque purgantibus medicamentis arceri, haud difficulter poſſunt; propterea remediorum claſſes, in deſtillationis cura inſtitutæ, reiterandæ non ſunt.

Aliud, fel capræ curat oculi telam.

Aliud, aqua uitæ oculorum humiditates aufert.

Aliud, ſuccus cæpæ coctæ inſtillatus.

Aliud, extinguatur corallus rubeus ignitus in lac mulieris, & ablua oculum per nouem uices, expertum.

Vrinæ uerò ſtillicidia, atque difficultates, cum frigidam intemperaturam conſequantur, & humidam, ſicuti alii enarrati affectus, haud diſsimilem uictus rationem requirunt; ſtillicidia enim urinæ, ob expultricis, aut retentricis ueſsicæ facultatis imbecillitatem.

Difficultates uerò, propter pituitæ meatum ueſſicę obſtruẽtis copiam, eueniunt.

Porrò uterque affectus frigidam, & humidã inſequitur ueſſicæ intemperiem; excale facientibus igitur, & exſiccantibus in eorum ſimptomatum curatione indigemus: nam in difficultate, urina ęgrè, & difficulter excernitur, ob ueſsicę imbecillitatem, atque adeò eiuſdem intemperiem frigidam, quæ actionem eius lædit, interdum etiam propter pituitoſos, atque adeò craſſos humores ueſicæ ceruicem obſtruentes accidit, cibis itaque calefacientibus utendum; Vino quoque callido, & condito medicamentis, præterea urinam cientibus, ut eſt paſtinaca probè cocta, fæniculum, apium, aſparagus, hippoſellinum, & ſimilia, præter alia, ſummè conferunt antidotus dyacala-

calaminthes, dialachæ, & dyacurcumę.

Theriaca quoque in potu data mirificè conducit. Extrinſecus pectinem oleis calidis, rutaceo nimirum, anetino, liliaceo, ſcorpionum, & de caſtoreo, fouere oportet; ad mouenda etiam fomenta, & ſacculus ex camemelo, abrotano, bectonica, artemiſia, ruta, calamento, ſabina, & ſimil. Si uerò pituitoſus humor difficultatem, ſeu ſtillicidium urinæ fecerit; tunc oximellite utendum erit, & decoctis hyſſopi, pulegii, origani, thymi, & ſimilium ſupra commemoratorum.

Ad urinæ ſuppreſsionem, radicis prouencæ, aut decoctum eius. ſuppoſitoria etiam ſalis gēmę proſunt, & unc. I. ſucci parietariæ cùm uino calidò, & media unc. dyacalam. cum uino.

Aliquando ſenibus, & ſi natura frigidis accidit nihilominus eis, & præſertim in prima ſenectute, urinæ ardor, ob flauam bilem in præcedenti ætate generatam, nec dum planè extinctã, & expulſam, uel quia in uictus ratione perindè atque iuuenes peccant, acria ſumentes alimenta, & modo vrinæ ſtillicidium, modò difficultatem patiuntur, Cauſam ſiue coniunctam, ſiue immediatam dixeris, excoriatio colli ueſsicæ eſt, aut eiuſdem ulcus, hæc aut ab exceſsiuo epatis, & renum calore, euenire, aut à congeſtis arenulis, aut ab utroque, nō alienum ducimus, ſat nobis eſt quòd recepta in ueſsica nitroſa & acri aquoſitate uirtutem irritante expultricem, ad noxium expellendum; toties igitur virtus mouetur, quoties ſenſum percipit rei contrariæ, At ſenſus iſtæ ferè ſemper eſt, ſemper igitur ad expellendum mouetur: Cum autem ægrè applicetur, expellens organum, collum uidelicet, ad eam, quæ expelli debet urinam, mirari debet nemò cur eſt, quòd pauca admodum, & interdũ nulla urina emittitur, adde uirtutem ex longo morbo debilē & arenularum cuius uis conglobatæ materiæ obſtructione; his autèm indicio ſunt punctio in collo veſsicæ maniſeſta, quæ in colis extremitate maximè uiget, id autèm euenire dicunt cũ panniculus virgæ capiti annexus maximi ſenſus ſit, cui communicatur vlceroſus ex collo veſsicæ dolor, ſolari etiam aliquantiſper dolorem, crebra glandis contractio ſolet, nec mirum, cùm per compreſſionem facilius expellatur vrina, quæ qualitatibus ſuis dolorem effeciſſet acriorem, à natura tãtùm expulſa, adde, quod compreſsio forte tantum recipi de ſpiri-

tu

tũ uetat, quantum ad ſenſationem efficiendam opus erat, uis enim ſentiendi in actum non exit, præter debitam quantitatẽ ſenſibilis ſpiritus, ac diſpoſitionem, in hyeme quinetiam ardore oppreſſus plus affici, quàm æſtate ac uere, nemini quidem mirum uideri debet, cùm innatus calor in profundis recipiatur corporis partibus, magisque augetur, iuxta ſenis oraculũ, unde crebrius excitatur ad expellendum, uigens uirtus quàm imbecillis.

Qui verò non multùm conturbatam urinam mingunt, id euenire propter loci à quo effunditur propinquitatem cenſendum, breui enim ſpatio tranſitus, uix multum puris, uel fęcis cum ea admiſceri poteſt, nec tamen à feculenta materia abſoluitur, nàm dum per ſpatium congruum illa reſidet, in ea nõ apparere ulcerationis, uel puris, manifeſta indicia, inconueniens non eſt. igitur morbus iſtę, & conſimilis, & officialis, & cõmunis exiſtit; eſt enim hic morbus in temperatura calidus, hoc eſt propter rhenum caliditatẽ, hepatisq., in conſtrictione in uia, in unitate; ſortitus tamen ab accidente nomen, ſtranguria, & diſſuria meruit appellari. Sequitur ergo talem diſpoſitionem difficillimam curatu fore, uel propter eius diuturnitatẽ, uel quia eſt in urinę ductibus, rhenum inquam, & ueſicę; à quibus morbis nunquam omninò euadere homines prouectiores palàm eſt, iuxta illud, nefritici ultra quadrageſimum &c. Adde uirtutis ob continuas lancinationes debilitate: quòd ſi hanc diſpoſitionem, capitis intemperies materias nitroſas ad rhenes tranſmittendo ſedulò foueat, vt nonnullis, & quidẽ peritis Medicis, uiſum eſt, iam difficultatem curæ compertam proculdubiò habemus. Sui igitur ſatagere tali morbo affectũ decet. Nos autem quantum fragilitati noſtræ datur, libentiſſimè opem feremus.

Aer igitur eligendus (quoad fieri poteſt) temperatus, quando & Auſtrini flatus ipſum lædunt, at longè plus Boreales, huiuſmodi igitur conſtitutiones nimis frigidæ, ac exceſſiuè calidæ, mirè obſunt. igne temperato igitur rectificandus aer, ualidæ exercitationes omninò euitandæ, præſertim à cibo, feriari igitur debet, nè promptiora ad fluxum, ipſo motu, atque acriora reddantur excrementa, nec minus excellentes animi motus obſunt, ut ira, furor, triſtitia, & id genus alia, ſomnus ſit uigilia

longior,

longior, exiccat enim & calefacit vigilia: vnde urina redditur omninò acrior, ſomnus autèm mitiorem eam reddit, nec non tranſactis duabus ad minus horis à cibo, dormiat; nec ſuper ſpinam omninò, ſed lateribus dextro primò interdum recubans, crebrò autèm refici debet, quando crapula ſibi inimiciſsima eſt, ter igitur in die eſſe debet, decentique comaſticatione manſum tranſglutiat, neque ex potu, aut eſu, ita repleat ſe, ut rugitus, aut fluctuationes (nè dicam nauſeam) percipiat, Ventris beneficio incumbat, ut natura bis in die, uel ſaltem ſemel reſpondeat, & ſi rebellis admodum fuerit, interdum oleribus per ſuperiora ſumptis, interdum per inferiora infuſis, uſum redimat ut aluus citetur, Venus autem & ſi non omninò abdicanda fuerit, rarò tamen ei inſeruiendum eſt.

De ciborum qualitate, glutinoſa, ac craſsi ſucci alimenta uitanda cuncta, Cauendum igitur à caſei antiqui, bulborum, lentis, carnis cuiuſcunque ſalitæ eſu, multoque magis, nè anguillarum, aut obſtrearum, aut denique eorum quorum dura caro, difficiliſque concoctu eſt uſum habeat: panis etiam azimus malus, paſtilia cũcta mala, acuta omnia mala, ut radicula, cœpe, allium, porrum, ſalſa omnia mortifera. Aromatum genus ferè uniuerſum malum, niſi croci & cinamomi odor, & id quidem rarò, ſemina omnia & aperitiua mala, ut aniſum, maratrum, ſiſeleos, & acetum ſimiliter malum, nec non omne ſalſamenti genus, uitanda quoque illa quæ erucæ, aut ſinapis ſemina ingrediuntur. Agreſta uerò non ſalita, uel punici mali, ſuccus interdum conuenit: panis optimi tritici bene fermentatus, optimeque ſubactus, & decenter coctus conuenit, ſine ſale tamen, carnes pullaceę, uitulinæ, hedinæ, agninæ, caſtratorũ quoque iuuenum conueniunt; Carnes auium, uel ſilueſtriũ animalium, ut plurimùm conueniunt; etiam ſuilla recens iuuenis interdum conceditur. ſaxatiles piſces, lucii, triliæ, rumbi, & alii id genus, fluuiales leuium carnium, & concoctu minimè contumaces, optimè conueniunt. Ex oleribus, ſpinachia, atriplex, borago, bugloſſa, endiuia, inthybus, lactuca, inter fructus pepones, cucurbita, ceraſa dulcia, auellanæ recentes, amigdalę, poma mollia, & apprimè dulcia, ſemina omnia cõmunia, conuenire dicimus; ſimiliter caſeus recens. cibaria cùm lacte cocto, oua ẽt ſorbilia, aqua, uel butyro cocta conueniunt, potus

ſit

ſit album uinum, tenue, aromaticum, ac dulcē, cuius impetus etiam ſi quis eſt, frangere debet aqua decoctionis glicirizæ, hęc de dieta. ubi prius admonuerimus, quòd olei oliuarum nimius uſus eſt malus, acrimoniam enim ſuam ſentiunt oculi, unde longè melius eſſet amigdalinum.

Pro medicinalibus hęc ſunt.

Recipe, flor. caſſiæ nuper extrac.	unc. 1.
Dyaprunis non ſolutiui,	unc. ſemis.
Sy. roſ.	unc. ſ.

Aquę lactis caprini, q. ſ. bibat in auro. tepidum; abſtinens à ſomno, & cibo, horis quinque. Cauendum tamen nè caſsia ſit agreſtis, quæ tortiones excitare conſueuit, Die autèm ſequenti imponatur clyſter; videlicet,

Recipe Buyri recentis, zuc. an.	unc. unam.
Olei amig. dul.	unc. 2.

Cum iure capitis caſtrati in quo bullierint hordeum, maluarum folia, & uiolarum, ac lini ſemen; fiat enema ſine ſale, additis ouo. uite. num. 2.

Tertia uerò die recipiat ſir. iſte, videlicet,

Recipe, ſemen melonum, & cucurbitæ, an.	unc. i. & ſemis.
Semen Papau. albi.	drach. ſemis.
Pul. glycirize,	ſcrup. 1.
Troci alKeKegni,	ſcrup. ſemi.
Aq. agrimoniæ,	unc. unam.
Aquæ lactis ouini,	unc. 3.

Miſce & ſolùm capiat per dies quindecim, in auro. Poſt, iterum detur lenitiuum ſuperius ſcriptum, & ibidem ſcriptum enema.

Aliud

Aliud.

Recipe,mucci.ſebeſten,ſ.lini,& mucci.grano.ſiſſami, an. unc 1. & ſemis.
Pulpæ caſsiæ no.trac.cum aq.uiol. unc.3.
Granorum alKęKegni,nu.12.
ſ.papa al.ſ.melon.an. drach.6.
Interaneorum cor.caſſ. drac.1.& ſemis.
Conſeruæ de prunis ſine ſpeci. unc.2.
Polipodii, drach.2.
Zucc.albi, q.ſ.

Fiat electu.addendo cinamo. glycirizæ,an.drach.unam,detur coclear unum in auro. & ſtatim bibat aquam infraſcriptam, videlicet,

Aquæ agrimo. unc. unam,& ſem.
Aq.ſublima.granato.dul.cùm corticibus contuſorum, unc.2.& ſem.

Miſce & detur totum poſt electuarium,utatur per plures dies, & à cibo abſtineat per horas quinque.

Item lactis humani,uel caprini in quo extinctum ferrum ſit, q.ſ. per ſyringam iniiciatur,bis in die.

Vltimum Remedium.

Vltimum autèm remediũ excogitatum ab expertis eſt: vt,

Recipe, ſucci plantag. unc.ſemis.
Vnguenti albi canforati, drach.6.
Litargirij auri,& argenti,an. drach.2.
Tutiæ præparatæ,ſief albi,an. drach.1.& ſem.
Lactis mulieris, lactis emulſi. ſem. papaueris,an. unc.ſemis.
Olei roſ.omphracini. unc.vnam.

Omnia ducantur in mortario plumbi per horas duas, vt inde fiat linimentum, modus autem applicationis per argenteum cannulum arte fabricatum octo digitorum longitudine extenſum, cum rotundo, ac perforato capite, habens animam quæ ex chirurgicorum officinis eripere licet, vnum reſtare omninò mihi videtur pro ſedãdo dolore, ꝙ adhuc modum ſe habet

accipe

accipe glicirizę raſæ, & recentis,unc.1. ſebeſten. drach.ſemis. ſ.quatuor,comm fri.an.drach.2.mucci.ſ.mal. ſ.citoniorum, an unc. ſemis. Fiat elec.ſ ar.

Vel Recipe, ſ. mellonum, citrullorum,an.	drach.v.
ſ.portula.	unc. ſemis.
ſ.cucurbitæ,	drach.5.
ſ Iuſquiami,	drach.1.& ſem.
ſ.Papauer. al.	unc.ſem.

Contere prius ſemen portu. & iuſquiami, & papau. poſtea ſemina alia, & miſceantur ſimul, & cum quinque unciis ſaccari albi exhibe de iſto pul.ʒ.2. ſero,& mane, cùm ſyr.uiol.feruec. facto cùm aqua roſ.

Aliquando vrinæ difficultas lapidem inſequitur in ueſicæ ore exiſtentem,liniendæ ſunt inguinis & pęnis partes,cùm uulpis ſanguine,cuius magnam facultatē, tali pacto quiſque experiri poterit, nempè de eo ponendo in aliquo quantumcunque duro lapide,& quatuor,aut quinque dierum intercapedine,abſciſſus reperietur.

Alia præſtantiſsima medela ad lapidem frangendum, tùm in veſica,tùm in rhenibus permanentem.

Recipe, ſ.cucumeris anguriæ, camedreos Alexandrini, ſemin.mirtillorum,an. drach. 6.

Corticis caſsiæ nigræ,cinamomi, ſpicæ,blactæ biſantis,ana, drach.quatuor,in puluerem ſubtiliſs. reducantur,& cum oleo feruefacto aromatizentur,& de eo ſumat lapide affectus,ad lupini quantitatem,quotidie mane, ſed cauendum nè in puluerem reducantur niſi cùm inſtrumentis ligneis, neque tangatur ferro, & mirabilia (Domine fauente) inſpicies

De apoplexia quid dicendum ? Nil aliud, niſi id quod à Galeno in eodem apho. aſſeritur, nempè,quod nullus morbus eſt adeò ſenili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus,nam,& ſi Auic.tertio.can. & Galen.de ſanguin.miſsione,cap.ſexto, & quarto de uictu mor. acu.comm.27. & in li.intro. ſeu Medico, dicant poſſe etiam à ſanguine ortum habere, nihilominus in ſenibus (maxima ex parte) ab humore pituitoſo procreatur,ueluti in aphoriſmo.

aperte Galen. fatetur, Apoplexiam iſta procedere ſymptomata ſolent, ideſt capitis dolor, vertigines, & ſcotomiæ, uenarum circa guttur inflatio, totius corporis tremor, & ſtridor dentium, in ſomno, grauitas, ac pigritia, frigus extremarum partium motus difficilis, urina æruginoſa, atra, & modica.

Signa uerò actualis apoplexiæ ſunt, quia ſubito infirmus cadit, & uelut attonitus iacet, uox amittitur, cùm totius corporis ſenſu, & motu, citra febrim, in ſomno ſtertit, uocatus non reſpondet, nec diuulſis pilis: uel ſtimulo punctus: non ſentit, ſi fuerit in uentriculis prioribus, tunc reſolutæ erunt faciei partes, aut odoratus uitiatur, ſi in uentriculis poſterioribus, tunc reſolutio erit in ſpinæ principio.

Eſt igitur quædam uentriculorum cerebri obſtructio, per quam membra motu & ſenſu priuantur, de repente incidens, in qua ſpiratio uehementer impeditur, & omiſſa obſtructione, quæ clauſione fit, dicimus ꝙ prouenit à materia pituitoſa replēte cerebri uentriculos, Statim igitur, quum nota fuerint medico ſigna præcedentia, utputa dolor capitis aſsiduus, uertigo, &c. Prouideat nè æger in fortè incidat apoplexiam, nec ſingulæ expectandæ ſunt commemoratæ notæ, quinimò de una tantùm morboſo conquerente, uictus ratio ad caliditatē tendens ei inſtituenda eſt, tenuis nempè, aer eligatur temperatus, accipiat igitur alimenta pauca, leuia, calida, & exterſoria ui prædita, potus ſit aqua mellis, & panis cùm ficubus ſiccis, nam tutiſsimè lubricum cuſtodiunt uentrem, optimus eſt origani uſus, necnon paſſularum, piſtachiorum, pinearumque carnes ſint ſilueſtres, non in domibus pingues factæ, unde, paſſares, & omnia minutarum auium genera in indicio futuræ apoplexiæ, & in declinatione morbi conueniunt, ſicut & uinum tenuæ calente aqua temperatum, non nouum, ob eius ſuperfluitatem, non antiquum, ob uelocem eius penetrationem, ſed inter utrunque horum magis proderit, intellige in morbi declinatione, & in indiciis futuri, nam in initio nuſquam conuenit, Paulus aquam calidam comēdat, alii cum ſyrup. corti. citri, quidam uerò cum melle, geſtetur æger curru, aut lectica, aut lecto penſili, nec dormiat ſtatim à cibo, ſed moretur donec alimentum deſcendat, & concoqui incipiat, tali etenim pacto cerebrum adiuuat, & ex cibis uaporem non concoctum,

ctum, concoctionem prohibentem reſoluit, Auicen. auctore.

Nec admodum uigilet, ne uires admodum langueſcant. Oximellite ſcillitico uti quotidie debet, nec nō ſerapio de ſtecados, de bectonica, melle roſaceo, poſtmodum uerò facta aliquo pacto pituitæ inciſione, catapotia quę cochia appellantur ſumat, uel de agarico, Meſ.

Accipiat ergo pilu de agarico Meſ.

Cochiarum, de hyera cùm agarico, an ſcrup. 2.

Conglobentur cum melle roſaceo, per ſeptem horas à cibo. cō ferunt quinetiam, ſternutamenta excitantia, & apophlegmatiſmi ex thimi, & origani decoctis parati.

Omnia iſta auxilia in prima alicuius futuræ apoplexiæ indicatione, inſtitui debēt, nam illa præſente, Medici inſtitutioni miniſtri propter morbi contumaciam obtemperare nequeunt. tentanda nihilominus per externa remedia iſtius affectus curatio, & primò cùm fortioribus enematibus, decocto, videlicet,

Salui℞, camemali, origani, cui admiſceatur, unc. ſem.

Hyeræ logo. benedictæ. Cùm oleo camemellino, rutaceo, & melle roſaceo. Vitellis ouor & ſale, & ſi clyſter fieri nequeat fiant ſuppoſitoria cùm ſalgēma, & ſpe. hyerę: fiant pari ratione frictiones fortes, ſi uires permittant cucurbitulæ occipitio cū ſcarificatione defigantur, & ſi fieri poteſt etiam præcordiis. Vaporationes calefacientes ſuper caput factæ admodum conferunt, ex aueto, amaraco, foliis citri, calamento, origano, &c. & inunctiones calefacientes, & corroborantes, omnia iſta & in indiciis futuram indicantibus apoplexiam, & in ipſius declinatione ad modum conferræ medicinæ profitentibus uiſum eſt. Dùm uerò præſens eſt, poſt uentris lenitionem, aut per ſuppoſitoria, aut per os ſumentia confectam, ferrum ignitum capiti apponendum, & emplaſtrum ſinapiſmum. Theriaca quinetiam, & diamuſ. in palato appoſita admodum prodeſſe Medici aſſerunt omnes.

De uenæ ſectione nihil in præſentiarū in medium abducimus, cum ſupponamus in ultima ſenectute tantummodo à ſuperabūdante pituita hìc præternaturalis affectus proueniat, ut Galen. in aphoriſmo aſſerit, iſdem ferè auxiliis, tùm lætargum, tum epilepſiam, ac reſolutionem curamus, quum ſinguli

iſti affectus á pituitoſo humore,ortum habeăt, nos uerò hìc tă tummodo ultimum tertiæ ſectionis aphoriſmum declarandŭ ſuſcepimus ,{Sed tempus iam eſt, ut ad reliquos in aphoriſmo commemoratos affectus animum uertamur.

Et primò de Cachexia,ſeu de malo habitu,qui ſenibus eue nire ſolent. Cuius cauſa frigiditas vnà cùm humore pituitoſo maxima ex parte exiſtit, præuia profectò ad aquam intercutem diſpoſitio. nam corporis habitus in aquoſitatem diffunditur,deprauata nempè iocinoris,aut ventriculi vi alteratrice, qua de rè ſanguinem incoctum, atque aquoſum per totum deſtribuit corpus. in hoc præternaturali affectu vniuerſa corporis miſcella laxior fit,ac emolleſcit; corpuſque totum cŭ pirore albicat, ac inualidum eſt, nam inter eundum crura uacillant,concoctiones impediuntur, faſtidium accidit,reſpiratio fit rara, & imbecillis.

Victus ſit tenuis & deſiccans.

Volatilia conferunt,ut perdices,& his ſimilia.

Vina odorifera cùm cinamomo, gariophillis, ſuauitate aliqua prædita.

Aſplenon, ſcolopendron uino, necnon & polipodij aliqua portio,pani uerò,ſemen petroſellini, aniſorum,aut cumini ad miſceantur. Dyas politicum maximoperè conuenit, nec minus Dyacalamintes conuenit, Veluti & ſinapis,porrum,& allia, Sanguinis miſsio uităda,niſi per hemorroydas,dum,& hic affectus ex conſuetæ earum excretionis cohibitione contingat, ſi minus conuenienti pharmaco, maximeque , ex hyera purgandus æger eſt, aut cùm dyalacca, ac dyacurcuma, inciſa prius pituita, cum eximelle ſcillitico, biſantino cùm aceto, ſerapius quinetiam de abſinthio admodum confert.

Accipe igitur, oximellis ſcillitici, aut compoſiti,ſerapii de abſint.ſing.vnciam vnam. Sumat cum vnc.3.decocti abſintii, ſamſucci,per ſeptem dies, poſtmodum propinetur hoc medicamentum, videlicet,

Recipe,ſpe.hyere. Gal.	drach.2.
Dyacurcumæ,dyalaccæ, an.	drach.3.& ſem.
Fomentur boli,	num. 4.

Et in diluculo exhibeantur,reiteretur tùm præparatio, tùm ĕt purgatio,prout opus fuerit,dùm ſerapia ſumit una de ſubſcri-

ptis catapotijs, malo habitu affectus uti debet, nempè.

Recipe, troch. de dyarrhodonis, de Rhabarbaro, de eupatorio, de abſin. ſin partes æquales, formentur globuli cùm melle roſaceo ſolutiuo, & innaurentur, nonnunquam drac. mediam theriacæ, aut dyateſſaron, aut tripheræ minoris deglutire debet, caueat ab aquæ potu, ab aere, & loco frigido, atque humido, ſi enarrata haud ſufficienter præſtarent auxilia, aquarum naturalium uſus adhibebitur, primùm aluminoſorum, nitroſarumq. magis, mox ſulphuroſarum; pluribus interpoſitis diebus, aliud balneum accomodabitur. Senibus uigilia accidit, quoniam ſenectus plena curarum eſt, & præterea corpus habet ſenex exiccatum, unde & tunc magis uigilare contingit (ut ait Galen. in commento) quando integra ſanitate fruũtur. Si igitur ſenex ob mœrorem, aut curam, aut quandam animi ægritudinem uigilauerit, primùm id quod moleſtat, quatenus licet protinus amputabimus, deindè ſuauium ſonorum auditu, mens à ſollicitudinibus abducenda eſt, id quod nonnulli leni aquæ murmure machinautur, qui enim ſic permulcentur ſomno facilè capiuntur, præterea balneis, præſertimq. ueſpertinis quum bene concoxerint utentur, ciboque humectanti in ſero, utpote lactuca, & id genus alijs, nonnunquam nigri papaueris folia uiridia obſonijs admiſcebunt, piſcibus ad concoctionem promptis, uino largiori tenui, & non uetuſtò recreari debent. Dormituri roſaceo caput perungent, aut oleo in quo papaueris capita, aut mandragora ſint incocta, item anetinum non uetus ſomnum accerſit, noui autem (inquit Paulus) qui poſt laſsitudinem, quiete ſubito ſuccedente, ſomno caperetur, ad hæc uenus moderata id ipſum præſtat, uiribus ſcilicet, haud labefactatis. Alij caput, aut pedes refrigeranres, facilè ſomno corripiuntur. At ſi ex cibi copia, uitiouè, ſtomaco grauato uigilauerint, (nam hoc etiam accidere ſolet,) quemadmodum rurſus alij præter conſuetudinem inedia preſsi, aut modico cibo ſumpto, uigiliis ſunt infeſtati, conſiderare id, ac cauſam ſuccidere oportet. emulſio quinetiam amigdalarum dul, ſcrup. 1. ſemin. papauer. albi maximi eſt iuuaminis.

Ad Somnum conſiliandum.

Recipe, opij, · ſcrup. I.
Caſtorei, } an. ſcrup. ſem.
Croci,

Redigantur in pul. addendo poſt modum duas, uel tres gut tas ſerapii de papauere, formetur forma ellychnii, & filo alligatum, naribus immitatur.

Si autem excitare è ſomno uelis, ægrotantis facies tepida aqua aceto permixta abluenda eſt.

A'iud.

Fiat enema in quo drach. ſemis filonii diſſoluatur.

Aliud.

Recipe, foliorum lactucæ, } an. parũ, decoquantur in bro
Maluæ, dio pinguis pulli, & exhibe.
Salicis,

Aliud.

Rec. ol. hyoſciami parum, cùm uino permixtum, & bibitum.

Aliud.

Papauerum nigrum cùm aqua pluuiali.

Aliud.

Dens canis nigri mortui ſuppoſitus capiti.

Aliud.

Serpentis, & uulpis pellis capiti ſuppoſita.

Aliud.

Fellis leporis deſiccati dùm in ore tenetur.

Aliud.

Olei roſacei, violacei, an. par. æq.
Bulliant in cucurbitarum ſucco, quouſque ſuccus abſumatur, ſic reiterando, per ſeptem uices, deindè adde canforæ parum, ungantur tempora & nares.

Aliud.

Recipe foliorum ſalicis, lactucæ, nenufaris, roſarum rub. papaueris nigri, violarum, arundinis, maluę, fol. uiolarum, ſolatri, fol camomillæ, an. part. æq.

Bulliant in tribus par. aquæ pluuialis, & una uini, & cùm illo decocto per horam à cęna abluantur manus, & pedes, tepide, necnon, & facies, & uadit dormitum; ex his etiam ſimplicibus

cibus poterit puluinulus impleri eique caput ſuperponere.

Aliud.

Agrimonia capiti ſuppoſita.

Senes quinetiam frequenter ſe ſcalpunt, quod prurigines appellant, quoniam illæ quæ pruritum operantur ſuperfluitates, (ut ait Galen. in comento) difficilem habent per cutem euacuationem, ſiquidèm in ipſis, ex frigiditate cutis denſatur, & ſuperfluitates plures, ac craſsiores in iis exiſtunt, ſalſa præſertim pituita, quæ omni conatu (antequam ad topica deueniamus auxilia) expelli debet; ſua tamen uiſciditate, eam auferre difficulter quiſque ualet: anteparanda igitur eſt cùm incidentibus, & aliquo pacto excalefacientibus, primò clementioribus, utputa decoctione fœniculi, abſinthii, aſparagi, boraginis, intibi, cum unciis duabus eximellis ſim. aut mellis roſ. uel ſyrup. acetati, deindè cum ualentioribus, nempè oximelle ſcilli. uel de quinque radi. non rectè ergo operantur qui tantum frigida in ſenum pruritu conſtituunt, purgetur à præparatione cum dyaſena nico. leni. ſcil. aut cùm catapo. de fumaria, uel cùm agarico pręparato, formetur tandem tali pacto medicamentum.

Recipe, dyaſenæ nico. drach. 7.
Agarici præpar. drach. 1. & ſemis.

Fiant boli, aut miſceantur cùm decoctoc. cordia Secunda die à medicamenti ſumptione, imponatur enema commun. tertia uero die, ingrediatur balneum aquæ dulcis tepidæ de ſero, aut mane ante refectionem, demùm ſi uites ualidæ reperientur decem ponantur per uicem unam tantum, cucurbitule, quatuor uide. in ſpatulis, duas in natibus, duas in coxendicibus, duasq. aliàs in crurium pulpamento, ſcarificentur, & ſex aut octo unciæ ſangui. extrahantur, ſequenti die, denuò ingrediatur balneum aquę dul. in quo folia maluarũ, violarum, hordei, fuerint ebullita, & ſtatim à balneo, totum liniatur corpus cum iſto ſcilicet linimento.

R. dyadrag gu. ara. infuſorum, mucci ſ. maluæ, biſm. an. unc. ſem. conficiantur cùm oleo ſiſamino, & cæra alba quod ſatis eſt, fiat unguentum, ſ. ar. reiteretur tùm balneum, tùm lænitio, bis in hebdomada, at ſi cùm pruritu ſcabies adiuncta fuerit, poſt præcedentia talis utatur linimento.

Recipe,

Recipe, olei roſati, ceruſſæ ablutę in aqua roſacea,& in pul. redactæ, ſin. unc.2.

Miſceantur ſimul, demum adde aceti albi quod ſatis ſit ad cõficiendum linim.ſe.ar.quo vtatur alterius diebus,& mirabilia ſcabioſus videbit.

Aliud prǫſtantiſsimum.

Recipe,ol.communis,	unc.4. & ſem.
Ceræ,	unc.unam.
Terebinthinę in aceto ter ablutæ,	unc.2.
Ceruſſæ,	unc.ſemis.
Aluminis rochę,	unc.ſemis.
Euforbii, Sublimati, }	an.ſcr.2.g 5.

Aquæ roſ.parum, cùm qua bulliat terebentina, & liquefiat, cæra unà cùm oleo, in fine adde pulueres, uerùm ſublimatum erit ultimum, ſubagita continuò, quouſque linimentum mediocriter incraſſetur, poſtmo dum aqua roſacea abluatur.

Multotiens iliaci dolores ſenibus accidunt, propter pituitoſos humores gracilia inteſtina obſtruentes, qui præparandi, & euacuandi ſunt cùm ſupra commemoratis, & infra poſitis auxiliis.

Recipe euforbii,	drach.1.
Sagapeni,	ſcrup.4.
dyagridii,	ſcrup.1.
Salis gemmæ,	ſcrup.ſemis.

Aloes epatici ſecundùm omnium pondus,confice cùm ſucco capitum porrorum, de quo drach. ſemis exhibeatur, cùm parum vini maluatici,à nobis ſæpiſsimè expertum.

Aliud.

Puluis cicadæ ſiccę in Sole, & crocus, exhibe cũ uino albo.

Aliud.

Stercoris columbini, Sinapis Ficus, }	an. q. v.

Infundantur in aceto, & fiat emplaſtrum, & ſuperponatur lo-

co

co læſo at intermittatur pannus lineus, nè fiat aliqua pellis excoriatio,

Aliud in colico dolore.

A proprietate valet vmbilicus pueri geſtus in anulo, eſt ex mirabilibus auxiliis.

Aliud.

Os hominis mortui ſuſpenſum in collo.

Aliud.

Succus radicis ebuli par. 2.
Olei communis par. 1.

Linienda eſt pars affecta, poteſt etiam per os exhiberi cùm oleo amigdalino.

Aliud, ſtatim ſedans dolorem.

Recipe, ſtoracis liquidæ, unc. ſem.
Pingue. anſeris, gallinæ, anatis, olei liliorum, ana, drach. v.
Ceræ rub. unc. 2. & ſem.
Butiri uaccini, unc. ſem.

Liquefiant, & ultimo addatur ſtorax, fiat linimentum.

Aliud.

Fimus lupi ſuſpendatur in collo, aut bibatur.

Aliud, cui non eſt par.

Excipe cineris uitis albæ.
Semin. æderæ, gran. quinque.
Cicadæ ſiccæ, reducantur.
Simul in puluerem, & uino albo permiſceantur, & dolenti exhibe.

Alui humiditates ſenibus accidunt propter cerebri ſuperfluitates (Galeno Auctore in commento) ad aluum defluentes, poſſunt pari ratione ob uentriculi imbecillitatem, imperfectè concoquentis euenire, retentriceq. uirtute labefactata. Qua de rè ſi à cerebro ortum habent, illud corrigendum, atq; purgandum cùm in cap. de deſtillatione commemoratis auxiliis, Si à uentriculo, & ipſe primùm curandus, ponam tamen aliqua illum corroborantia, quæ hæc ex iis inter alia exiſtunt.

Recipe, pul. maſticis, drach. 3.
Terebentinæ finæ, unc. 1. & ſem.

Subagitentur, & ſternatur in corio, oriq. uentriculi annectatur.

K

tur. Deſumat quinetiam,ſerapium ex menta aromati. confe-ctum; poteſt etiam addi in cerato pul. gariofi.drach.1.& ſemis. corallorum rub.drach. unam.

Aliud.

Recipe,ſpe. diagalangæ, drach.2.
Confec. de citoniis, unc.3.

Cui adde uini citoniorum, quod ſatis ſit ad conficiendam ele-ctuarii formam; poſtquam uidelicet, erunt ſimul in pila mar-morea contuſa.

Aliud.

Exhibe ſy. menthæ, }
Vini cito. } an unc.1.
Pul. maſticis, ſcrup 1.
Galliæ muſ. ſcrup. ſem.

Miſce,utatur ſero,& mane,per duas horas ante cibum. Si ue-rò alui fluor cùm ſanguin.exitu eſtiterit, tunc adde ſcrup.1. vſneæ,aut burſæ paſtoris.

Aliud fortius.

Excipe folia citoniorũ,corneorum, prunorum ſilueſtrium, corticum mali punici,roſ.ſicca.vnà cum fructibus ſingulorum & ferueant in aqua, quouſque; liquefiant colo transfundan-tur,& re transfuſis,utatur pro pedum ablutione,& balneo,uen triculique fomento. poterit etiam de eo enema fieri cùm ſe-po,& oleo roſaceo, theriacæ quinetiam uſus, haud parum con fert in ſingulos flutus generibus, nec minus adiuuare, cucurbi tularum latioris abſque inciſione per totum uentrem appoſi-tionem;compertum perſæpe à nobis eſt. At quoniam quam-plurimæ ſunt fluxus differentiæ, cæteris omiſsis, eas tantum-modo quæ à pituitoſis oriuntur humoribus, (ut ſenſit Galen. in apho.) hic ſupponere decreuimus:emanantes nempè,aut à cerebro, uel ab ipſo uentriculo,cum illorum uiſcerum intem-perie frigida.

Verùmenimuerò, dum deiectiones admodum uiſcidæ ap-parent,æqueatque attrabilioſæ illos initiò audacter adſtringe re tutum minimè eſt. Conuenit igitur, exhibere per aliquas uices talem ſerapium, uidelicet,

Recipe, mellis roſ.colati. unc.1.& ſem.

Cum decocto borag. poſt modum deſumat uncias quinq;

mellis

mellis roſati ſolutini, cum brodio pulli. hæc profectò potio, emotū à proprio ſitu delinquentem humorem, euacuādi uim habet; & propter roſarum propriam ſtipticitatem quam poſſidet, partes per quas tranſit corroborat. At, ſi conſtrictio ante purgans medicamentum fieret, conſtricti humoris magna putredo, dubiò procul eueniret. Veluti etiam, lumbricis in uentre exiſtentibus, adſtrictio conſtituenda eſt minimè, ſed ante illi extramittendi ſunt, fiat igitur tale enema.

Recipe, lactis caprini, & mellis, ſingulo. par. æqual. æſtingua tur in his ferrum, ſeu calibs ignitus, & imponatur clyſter, & ſi opus fuerit reiterandus eſt. demum,

Recipe, Rhabarbari torrefacti, drach. i. & ſem. ſpicę, uini di luti, ana, parum, deſumant in diluculo. ſequenti die fiat enema cùm brodio, ut abluendi uim habeat: demum, ut ad conſtringentia redeas uelim.

Fluxui frequens aſſellandi cupiditas accidit, quæ, aut ob frigiditatem, aut uermium, uel hemorroydarum cauſa, aut pro pter uiſcidos, uel calidos humores pungentes, exulcerantesuè rectum inteſtinum aduenit. Qua de rè ſi ob frigiditatem, tūc theriaca auxiliabimur, necnon enemate decoctionis aneti; ca lamenti, abſinthii, cum ſepo, & parum mellis: proderit etiam, olibani, corticiſque pineorum fumificationis exceptio, & ſedere in abietina tabula, aut in fluuiali lapide ex calefacto, tegmineque lineo aceto imbuto contecto, poſteaque ſiccus pannus deſuper ponatur, nè nares nimia excalefactione lædantur, nec minoris auxilii erit linimentum confectum ex braſsicæ fo liis elixatis, atque contuſis, butyro, & uitello oui cocto permix tis, & in podice appoſitum: At ſi tenaſmon à uermibus originem traxerit, uermes auferantur. Si uerò ab hęmoroidibus, imponatur harundo butiro plena, cùm permixtione hermodactilorum pulueris, uel cùm iſto linimento.

Rec. pingue. gallinæ. ol. roſati,	
ol. de ſemine lini, an.	unc. ſem.
Butyri,	drach. x.
Succi plantag. ſucc. taxi bar, an.	drach. 2.
Opii,	ſcrup. i.
Croci,	ſcrup. ſem.

Omnia ſimul ducantur in mortario plumbi, per horas ſex, &

ſiat linimentum; quo utatur intus cum lichiniis, ſed ſi euenerit ex calidis humori. fiaut enemata infrigidantia, ex ſucco, uidelicet,

Portulacæ, ſemperuiui, olei roſacei, albuminis oui, & lactis, & lac per ſe ſolum, admodum confert.

Aliud ad ſiſtendum fluxum expertum.

Recipe, Macis,		
Maſticis,	}	an. part. æq.
Gariofillorum.		

Sumat mane drach. 1. per tres dies.

Aliud.

Recipe corticis, malimedici ſicci in puluerem redacti, & propinato.

Aliud.

Recipe turturis uiuæ, & antiquæ, & pone in uaſe uitreo, cũ pinnis ipſius abſque liquore aliquo, & obſtrue os uaſis cũ oper culo ſuo, & cirumciera panis maſſa occlude, & define in furno uſque quo panis concoquatur, turturq. comburatur, & in puluerem reducatur, de quo exhibe bis quotidie, ſero, & mane ieiuno.

Aliud.

Excipe inteſtinum rectum caſtrati in illudque immittas nõ paucos ouorum uitellos coque poſteà inteſtinum ſic uitellis plenum in aqua, uel iure aliquo, de quo ad libitum patiens ſorbeat. Poteſt etiam, & de inteſtino unà cum ouis edere, & de decocto clyſter imponere: in diſenteria mirabiliter operat.

Hebetes autèm uiſus, & graues auditus, ſenes habent; Galeno auctore, propter potentiæ ſenſibilis imbecillitatem ex diminutione nempè caloris innati, necnon ex pituitoſis humoribus, quos iſta aqua abſcindes poſt capitis purgationem. Accipe radicum maratronis hoc eſt corticis eius, chelidoniæ, roſarum rubearum, ſingu ſemiunciam. rutæ, manip. 1. vini optimi Candiæ, vncias duas, mellis optimi deſpumati uncias 4. ſingula in uaſæ uitreo inſtillentur, & utitor. Ante illinitionem foueat oculos, ſpongia aqua marina calida imbuta, ualet etiã ſuffuſis, qui humorum affuſionem inter tunicam ceratoidem,

&

& chriſtalloydem concreſcentium patiuntur, ſuffuſione tentatis, initiò paruæ muſce, & quaſi araneæ telæ ante oculos apparere uidentur. Antequam malum radices egerit, conſiſtatque, purgatione. Item iniectionibus acrioribus, ueluti, & centauri, aut cucumeris amari decocto, & alui ſolutione crebriore, cucurbitulisque occipitio cute inciſa admotis, uti debet, aquæ mellis potus toto uictus curriculo competit, cibisq. uti qui extenuant. proderit autèm, & temporis ſpatio, & apophlegmatiſmis dieb. aliquot uti: quę tamē peculiariter ad hūc affectum pertinent, cucurbitulæ, primæ, & ſecundæ uertebrę affixæ. errhina, & apophlegmatiſmi, quorum hæc ſit formula, quæ accipit, ſ. ſtaphidiſagrię, maſtiches, radicis piretri, utriuſq; drach. unam, hyſſopi, origaui, utriuſque drach. unam, & ſemis ſinapi drachm. 2. trita excipiantur terebintina reſina, & cæra adhibita, fiant paſtilli manſiles.

Aqua cœlitus inſtituta, non ſolùm pro affectibus præternaturam oculorum remouendis, Verùm etiam, pro uita hominis prolunganda, in ſingulis hominum morbis auxilium præſtas, in contagionis tempeſtate præſertim.

Recipe, gariofilorum,
Nucis muſc.
Zingiberis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Piperis longi, & rot.
Sem. iuniperi,
Corticis citri, } an. unc. unam.

Foliorum ſaluiæ,
Ocymi,
Roriſmarini,
Amaraci,
Mentæ,
Gariofilatæ,
Pomorum lauri,
Pulegij, } an. manip. 1.

Melianorum, calamenti, floris ſambuci, floris roſarum albarum, ana.

Spicæ

Spicæ nardi,
Ligni aloè, } an.unc.ſemis.

Cubebe,
Cardamomi,
Cinamomi,
Calami aromatici,
Sticados,
Camedreos,
Camepiteos, } an. unc. vnam.
Meleget,
Grana Paradiſi,
Turis maſculi,
Maſticis maſculi,
Aloes epatici,

Semin.& floris aneti, ſem.artemiſię,caricarum,paſſularum, carnis dactilorum,amigdalarum dul & pineorum, ana.vnc.ſemis,mellis optimi,unc.ſex. ſaccari fini, partes duas.

Reducantur omnia iſta in puluerem, demùm infundantur per vigintiquatuor horas in libris tribus aquæ uitæ optimæ, & quinquiès inſtillatę,poſtmodum ſic ita permixta inſtilla,aqua quæ extra ueniet erit rubea tanquàm ignis. Quando uerò calor permutabitur,aufer aquam inſtillatam, eamque in hala uitrea ocluſa ſerua.

Hæc aqua præſtantiſsima pro auferendis ſingulis maculis à facie eſt, abluendo eam per quinque uices,ſemel in die.

Accipe de iſta aqua,& ęqualis ponderis de aqua matris balſami quam inferius deſcribam, & ponantur ſimul in fiala una uitrea;& poſt duos dies deſtilla leui igne: prima aqua erit limpida,& quando ceperit permutari, & eſſe ſicut aqua pluuialis tunc aufer recipiens, & ſerua in fiala occluſa, & quando uenient rubeæ,ſerua eas tanquàm aurum in alia fiala, bene ocluſa: Iſtæ duæ aquæ uim eandem poſsident, conſolidant omne uulnus in trigintaſex horis,necnon antiquum ulcus;curant cãcrum,fiſtulam,lupam,necat carbonem in tribus horis,omnem maculam aufert,guttam unam inſtillando alternis diebus, frãgit lapidem in rhenibus, aut in ueſsica exiſtentem,ſumendo cum parum uini albi; dolores matricis prorſus extinguit,cùm

vino

vino albo ſumpta, oēſq. alios dolores remouet ſic; & neruorũ attractionem. Nunc in medium adducã uires tertiæ aquæ quę eſt ſanguini ſimilis, & aquã nuncupant cœleſtem. Quoniam ſi quinquies, aut ſepties, homo de ea acceperit quantum in plã ta manus ſuſtinere poſſet quotidie tantundem, elephantiaſim, exulcerationem pulmonis, hidropicos, paraliticos, morbum comitialem, arteticos, & coxendicos dolores urinæ ſtillicidium, & difficultatem, duorm mẽſium intercapedine, curat. quid multa? Senium in iuuentutem uertit, & lætalem morbum in ſalubrem, & qualiſcunque conſueuerit ea ſumere quotidie quantum frumenti granum, cùm medio ciato aquæ boraginis, euadet tanquam adoleſcens, non ſine omnium ſtupore, & hæc eſt forma aquæ matris Balſami.

Recipe, terebentinæ finæ,	lib. unam.
Thuris albi,	drach. 2.
Ligni aloes rectè pul.	drach. unam.
Maſticis, Gariofilorum, Nucis muſ. Galangæ, Cubebæ, Cinamomi,	ſing unc. unam.

Semin. maratronis, granorum lauri, ſingul. drachm. ſex. Miſceantur ſimul, & inſtilla, ut priſtinæ aquæ, & ſic completa eſt aqua cœleſtis, quæ ut nomen uires poſsidet.

Haud raro homines (ſenes prę ſertim) de hemorroidarum dolore conqueruntur, tali pacto uſus ſum iis auxiliari.

Recipe, ſeptem, aut octo ſcarabea, hoc eſt animalia illa fœtida tibias longas habentia q̃ repetiuntur in domibus, lociſq. aliis humidis, pone illa in paruo uaſe cùm oleo communi, & deſine quouſque omninò liquefiant, & accipe alia ſcarabea, & pone in latere ignito, quouſque fiant carbones, & reducantur in puluerem ſubtiliſsimum; & cùm illo oleo in quo liquefacta ſunt ſcarabea, liniantur hemoroides, poſtmodum aſperge ſupra de puluere illorum, & breui tempore deficient. Si autèm uis illas aperire, & ſanguinem concretum, atque cor

ruptum

ruptum extrahere, Accipe mel excalefactum, in quod immittenda eſt optima farina bene cùm melle ſubagitata, & illine. Hemorroidarum dolorem aufert cœpa optimè cocta contuſa & cùm butyro permixta fac linimentum, & utere, calide.

Aliud.

Recipe, nuces putridas, & parum picis, pulueriza ſubtiliter, & fiat linimentum cùm oleo roſaceo.

Aliud.

Recipe, piſces ſalitos (quos ſardelli appellitant) comburantur, & in puluerem reducantur, de quo ad libitum ſuperpone.

Aliud.

Pulueris aranei combuſti quantum uis, excipe cùm oleo, & illine.

Aliud.

Sedere in leporis pelle.

Aliud.

Farina hordei cùm lacte uaccino aufert hemorroidarum dolorem.

Aliud.

Recipe, rumbicis foliorum, aut radicis, & bulliant in aquis, aut in uino optimo, & recipiat exhalationem, & quum decoctum erit tepefactum, propinquetur ei podex, & hemorroides egredientur ſi in partibus internis fuerint, tuncque aſperge in eis puluerem cornu cerui, & deſiccentur.

Aliud.

Recipe, litargirij auri rectè puluerizati, & permiſcæ cùm albumine oui optimè conquaſſatici, & utere.

Aliud.

Rec. radicis liliorum alborum optimè corotuſorum, bulliāt cùm melle, & fac linimentum.

Aliud ad extrahendum corruptum humorem.

Recipe, cœpæ, mellis, an. par. æqu.
Farinæ optimæ ſubcerniculatæ, quantum ſufficit ad conficiendum linimentum.

Aliud.

Recipe, ex uermibus qui ſub terra, uel ſub lapidibus, aut lignis

gnis

gnis reperiuntur, (uulgò porcelletti) quoniam ſuibus paruis aſsimilantur. R (inquam) de illis uiginti, aut triginta, & ſic uiui immittantur in ollula oleo plena amigdalarum dulcium,& bulliant per horam unam,poſteà extrahe animalia,& pone in oleum croci pulueriżati,ſcrup.unum,rectè ſubagitando, & cum coto illine.

Aliud.

Recipe, corticis oui, à quo pullus fuerit extractus, & corticis ſtipis braſsicæ,comburantur,& reducantur in puluerem,& permiſceantur in oleo roſaceo,& utere. Sed maximopère pręſtat ſemel in hebdomada huiuſcemodi medicamenti uſus,euacuat enim humorem atrabilioſum, qui uenas hemorroidales mirumimodùm infeſtat.

Recipe igitur,dyaſenæ nico. drach. ſeptem.
Mellis roſ.ſol. unc. tres.

Deſumat cùm brodio in quo decocta ſint cap.ue. ſcolopendr. ana,manip. unum.

Ad dentium affectus.

Conqueruntur pari ratione multotiens, tùm iuuenes, tùm ſenes,de dẽtium dolore,à prauorum humorum fluxione, (maxima ex parte) orto;necnon aliquandò,propter defectum oris ablutionis à cibo,inter dentes relicto,& putreſcente: Inſpiciẽdi igitur ſunt dẽtes,& ſi fuerint perforati,uel nigri,aut alterius praui coloris; deſumat per horã ante cœnã, drachmas ſeptem hyerę Galeni in bolos redactas, aùt cum brodio permixtas,& quatuor,aut ad minus ter,purgabit: poſteà, Recipe culeolum quæ eſt in media parte nucis,contritum,in uino decoctũ, quo ſæpe abluantur dentes,& fiet ab eis rei excrementitiæ abſterſio, demùm,

Recipe, radicis iuſquiami, radicis ſerpẽntinæ, hederæ terreſtris, ſing. unciam mediam.
Radicis celidoniæ,ſing. drach. 2.
Pilatri Alexandrini,maſticis,carnis dactilorum,an. ʒ ſemis.
Singula iſta bulliant in aceto, & extrahe abigne, & deſine uſquequo refrigeretur, poſtmodum, duos ciatus optimi mellis, denuò omnia ſimul (haud perquam maximè tamen) bulliant,

L &

& utatur pro oris ablutione, & ceſſabit dolor, & putredo.

Aliud.

Recipe, mediam glandem, hoc eſt fructum quem comedũt ſues, & pone in dente dolente, extrahet enim ſuperfluitatem, doloris cauſam.

Aliud.

Puluis lapidis corniolæ liberat dentes, tùm à dolore, tùm à putreddine, & gingiuas à corroſione.

Aliud.

Quando mala intemperies eſt in cauſa, ab aquæ frigidæ ſorbitione acquiſita.

Abluatur os aqua vita, ſed præſtantiſsima eſt illa cęleſtis ſupra commemorata; ſat enim guttam vnam apponere in parte dolente.

Aliud, dum dolor à vermibus prouenit.

Recipe, grana nouem piperis, & pulueris radicis alleorum combuſtorum, & iuſquiami, fiant trociſci cùm parum olibani puri, & fiat ſuffumigium, propter quod decident vermes, & in aqua poteris videre.

Aliud.

Recipe, grana quinque hęderæ, & bulliant in aqua roſ. infra corticem granatorum propè cinerem feruentem, & illine dentem dolentem.

Aliud.

Bulliant in cortice granatorum, propè cineres feruentes, ſaluia, galanga, zingiber, maſtix, cùm uino granatorum acidorum, demùm adde optimum uinum, & utere: optimum profectò auxilium, & expertum à nobis in dentium dolore; gingiuas etiam corroborans.

Aliud, ad dentium dolorem.

Accendatur candela cùm cęra, & ſemine iuſquiami confecta, & aperto ore calorem excipiat, dolorem aufert, & uermes extrahentur.

Multotiens ſenes propter ſalſæ pituitæ deſtillationes, dẽtes parum firmi exiſtunt, quos hæc auxilia firmant, ſaluiæ, roriſmarinæ, roſarum, radicum urticæ, radi. rutæ, corticis mali punici, foli.

foli oliuæ, mentæ, alumi rochæ, ſingu. unciam ſemis, mellis roſac. unc. tres, ferueſiant in olla recenti, in uino albo, in oreque decoctum teneatur, ter, quaterque, in ſingulis diebus.

Aliud.

Gingiuarum roſiones auferens, ſucco foliorum uitis albæ, cùm melle roſ. gingiuas illine.

Ad fiſſuras.

Fiſſuras quinetiam labiorum, ſenes perſæpe pati uidentur, illas aufert olei communis abluti, butyri abluti, ſæpi agnę abluti, ana, partes æquales: infundātur in aqua roſa. per noctem, cæræ nouæ tertia pars ſing. dictorum; deſtillentur, & vſui reſeruentur.

Aliud.

Licii, gummæ arabicæ, dragacanthi, ana, parū, labia illine.

Aliud.

Cæræ albæ, olei roſ. pingue. anatis ſine ſale, deindè mucill. cito. adde pul. amidi, & fiat lini. & loco illinito pul. dragacanti aſperge.

Ad auditum grauem.

Senes (maxima ex parte) propter diminutionem caloris innati, & pituitæ incrementum, de graui auditu conqueruntur, Ad hunc effectum purgantia medicamenta in eorum deſtillatione commemorata, haud leuiter conferunt. Topica verò remedia iſta, admodum competunt; nempè cicadæ, quæ in arbore oliuæ reperiuntur, in uetuſtiſsimo ferueſactæ oleo, quòd in auribus guttatim paſsim eſt immittendum.

Aliud.

Pinguedinis anſeris, vrinæ agnæ, & fellis eius, ſingulis permixtis, utere.

Aliud.

Oleum lumbicorum in aures deſtillatum, maximè eſt ualoris.

Aliud.

Fel tauri.

Ad aurium uerò ſonitum, poſt pituitoſi humoris purgationem, elebori, caſtorei, ſingu. drach. unam.
Foliorum rutæ, mirrhę,
Salis nitri, piperis longhi,
ſingulorum, drachmam mediam.
Euforbii, ſcrup. unum.
Succi raſani, unc. quinque.
Olei amigd. amararum, unc. tres.
Feruefiant vſque ad ſucci conſumptionem, colo transfunde, & vſui reſeruetur.

Ad alui conſtrictionem.

Non rarò ſenes, excrementorum cohibitionem propter virtutis expulſiuæ imbecillitatem, patiuntur; à medicaminibuſque emollientibus per os inſtitutis abhorrent; cùm localibus igitur, ijs ſatisfacere conabimur.

Felle tauri, cùm ſepo, & melle, & puluere colochintidis illinienda eſt aluus.

Conferunt etiam eſulæ, ſcrup. unum.
Cinamomi, ſcrup. 2.
Cum iure, & ſaccarò propinatis.

Ad neruorum tremorem.

Labefactantur quinetiam ſenes, à neruorum tremore, ob debilem calorem, illiniendæ ſunt uertebræ parti affectæ correſpondentes, cùm oleo in quo caput veſpertilionis fuerit feruefactus, uſque ſcilicet, ad perfectam liqueſactionem, & hoc à purgatione humoris piruitoſi confecta.

Ad aculeos extrahendos.

Aliquandò ſenes uirtutis imbecillitate perreptant, & in aculeos aliquos incidunt, quos perfacilè extrahentur, cùm arundinis radice, & calamento, melle, fermento, & galbano excerptis.

Sæpe ſenibus deglutiendo accidit propter deſtillationem tuſsis,quæ cibum,aut aliud(præſertim durum)intercedit. Deſumat cor, ſeu micam panis calidam, oleo communi, aut nucum,aut pinguedine aliqua imbutta,& deglutiat abſque commanducatione,& dilatet os,& extraueniet: uel deglutiet albu men oui, & liberabitur.

Manifeſtum igitur, ex ſupinus enarratis eſt, ſingulorum (ſenum præſertim) affectus, ex caloris innati diminutione oriri.

Calor etenim, aut naturaliter, aut præter naturam langueſcit, porrò ſecundùm naturæ curſum,non ſolùm decreſcit, uerùm prorſus in ultimo deficit ſenio, propter ſui pabuli defectum; ſeminalis nempè humiditatis, eiuſdem innati caloris ſubſtantiæ. Hinc ultimùm ſenium, ſeu marcor euenit.

Vita enim,duobus maximè conſtat,(ut uoluit Hypocratis) igne, & aqua, calido, & humido, humidum calido, alimentum eſt; ignis perpetuò motu, aquam depaſcitur. Accedunt quoque ætati exercitia corporis; ſic inualeſcit ignis: & minus aquæ relinquitur.

Dum procedit ætas, & longius genituram relinquit, propius ad corruptelam accedit, nàm, vt generatio & uita, in calore,& humore eſt, ita corruptela, & mors,in frigido, & ſicco. itaque,magna parte inſiti ſucci abſumpta à calore, calor alimento minus fruitur, & langueſcit, ex quo ſiccius, & minus calens corpus relinquitur.

Vbi uerò extra naturam diminutio efficitur, ex praua uictus ratione ortum habet, quæ in prauis aquis, non puro aere,& loco, nec non tenuiſsimo, aut craſſo, aut praui ſucci alimento, labore, incompetenti uigiliarum, ſomni, ac ueneris uſu conciſtit; à quibus omnibus, præcauere nullo negocio poterit,quicunque præſentem enarrationem lectitauerit; atque perlectam cuſtodierit: in ſingulis me remittens cæterorum Medicorum ſagaciſſimo iudicio. Ego autèm, cùm in vltimo ſim ſenio,labilem memoriam me poſsidere,inconueniens aut quàquam eſt. Sciat quiſque velim,ea omnia, quę hac in enarratione in medium adduxi,à me fideliter ſcripta fuiſſe; in proprioq;

prioque (maxima ex parte) corpore obſeruaſſe; aut in alijs comprobaſſe.

Cępimus iam diù nouum Indicem in ſingulis Hypocratis libris, cùm Annotationibus propriis; Sed imperfectum derelinquetur; Tempus etenim non ſat eſt nobis ad illum perficiendum: niſi DEVS ſua clementia, uitam prolungare dignetur.

Finis, Laus Deo, opt. max.

*

BIBLIOTECA NAZ. CC ROMA VITTORIO EMANUELE